Sifueris Roma romae vivite

M

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
22 A
19

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS BAPTISTÆ LENCCI.

14.2.6

Obſeruationes Politicæ, ex varijs Hiſtoriarum & ciuilis doctrinæ Scriptoribus præterpropter conciliatæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Eme, LECTOR, non te decipimus nihil inuenturum, cum intraueris, præterquàm ea, quæ in fronte promiſimus. Sed tamen

—— *Fungar vice cotis, acutum*
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

ARGENTINÆ,
Typis Ioſiæ Rihelij, per Andream Rietſchium.

ANNO M. DC. VI.

12.22 P.19

Digitized by Google

NOBILISSI-
MIS ET STRE-
NVISSIMIS.

VITO VLRICHO & SIGMVN-
DO Mareſcallis ab Ebenett/ in Frensdorff & Wingartsgereuth/ ꝛc.

GEORGIO & IOANNI ADA-
MO, à Künſperg/ in Werenſtein & Turnaw/ ꝛc.

Eqq. Oſtrofranciæ vetuſtiſſ. & ſplendidiſsimis.

IOANNES BAPTISTA LENCICVS. S.

OMNES HOMINES, qui bonæ mentis famam quærunt, ſummâ ope niti decet, ne vitam deſidia atq; otii torpedine tranſeant, veluti pecora, quæ natura ſua, ſi cibum ſuggeras, iacent ſtupentq;: & præterita, inſtantia ac futura pari

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

obliuione dimittunt. Sed omnis noſtra benè-viuendi ars in Prudentia maximè ſita eſt: hæc præſentia ordinat, ventura prouidet, antè facta recordatur: quæ ſibi, quæq́; alijs conducant, perſpicit. Quo magis enitendũ mortalibus eſt, vt omni vi & contentione animi quantam-maxumam eius partem ſibi acquirant. Verùm tamen verò, magnum olim & nunc inter Sapientes certamen fuit: VSVne & EXPERIENTIA, an MEMORIA rerũ geſtarum, Prudentia magis emergeret? nam & efficax ſatis rerum omnium magiſter à ſeſe Vſus eſt: & multi rurſum, euentis aliorum per Hiſtorias ampliter ad Prudentiam erudiuntur. Sed euentu tandem, atq́; ipſa negotiorum tractatione compertum eſt, periculoſum illum quidem, ſed & firmiorem & ma-

& magis penitrantem, hanc tutam & extrà ſortunæ aleam poſitam, remotiorem autem & latius diffuſam creſcenti Prudentiæ exiſtere. Igitur ego, cùm inde ab adoleſcentulo vehementiſſimè ad Sapientiæ ſtudium proritarer, per ætatem verò exerceri in rebus comminùs noſcendis periclitandisq́; non ſuſtinerem: ad poſteriorem viam confugiendũ mihi putaui, vt ſi per experientiam minus commodè poſſem, in mutis tamen & mortuis illis magiſtris, velut in ſpeculo, ad alienas virtutes, crudum adhuc & iuuenilem hunc animum componerem & ornarem. Habet enim hoc, [*vt Liuius ait,*] inprimis ſalubre & frugiferũ Hiſtoria, vt in ea omnis exempli documenta in illuſtri poſita intueri unicuiuis noſtrũ liceat: vt in-

dè,nobis & Reip. noſtræ, quod imitemur, capiamus, indè fœdum inceptu, fœdum exitu vitemus. *Itaq́ vbi primùm deſtinatæ rei manus admoui, tanta illicò acceſſio facta eſt ad priſtinũ ardorem, vt nihil prius, nihil antiquius habuerim, quàm vt ab initiò ad finem vſq́ omnes omnium ætatũ Scriptores continuato ſtudio peruolutarem. Cæterùm cum pleroſq́ ſaluberrimis monitis abundare viderem, ijſq́ crebris & frequentibus, cœpi cùm animo meo cogitare, facturúsne operæ pretiũ eſſem, ſi, vt apes flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deindè, quidquid attulère, diſponunt, ac per fauos digerunt: Ita ego, quæcunq́ ex diuerſa hiſtoriarũ & ciuilis doctrinæ lectione collegiſſem, ſtilo in aduerſaria mea conÿcerem, & ad meos vſus*

ſus aſſeruarem. Ne, vbi animum à præſenti ſtudiorum contemplatione abductum ad grauiora traduxiſſem, ſeneſcentibus cum ſtudio præceptis (vt in proximo quoq; deficere memoria noſtra ſolet*) oleũ ſimul & operam perdidiſſe iudicarer. Huic itaq; conſilio cum inſtarem gnauiter, factum eſt, vt ad aliquam multas centurias præcepta, ſiue mauis obſeruationes hæ excreuerint, ita, vt iuſtæ magnitudinis libellum quodammodò repræſentarent. Intereà temporis cum ad me ſæpè, vt ſolet, amici viſerent, & ſtudium illis meum probaretur obſecrare principiò, vt lectum darem, dein hortari, vt publici Iuris facerem, ceperũt. Quid multis? facilè perſuaſum eſt, quippe homini adoleſcenti, & natura ſua cupido famæ bonis artibus*

quæſitæ: tùm, quia à puero ita animatus fui, vt nulla res me delectarit, quam mihi vni ſciturus eſſem. Cuius me conſuetudinis ita non pertæduit, vt etiamnũ, ipſam τὴν σόφιαν, ſi cum hac lege & conditione detur, vt illam incluſam teneam, nec enunciem, ſim reiecturus. Adeò nullius boni ſine ſocio iucunda apud me poſſeſsio vnquàm fuit, vel erit. *Quod ſi qui alij ſequiori ſunt ingenio, illos tales non verebor inuidioſo cani, qui fœno incubat, comparare: qui cum vorare illud nõ poſsit, alijs quoq; fruendi gratiã negat. Et tantum de inſtituto mei laboris.*

Reliquum eſt, vt Satageis & moleſtis quibuſdam vituperonibus velut in anteceſſum me purgẽ, & qualem qualem lucubrationis meæ rationem illis oſtendam. Ac primùm quidem

dem

dem nudas eſſe conſiderationes & abſervata hæc ideò volui, quòd ſemper in ea fuerim opinione, plus proficere Præcepta in iuuenili pectore, quæ minutatim animo inſerũtur, quàm quæ per præparatas & effuſas (Diſcurſus Opici appellãt) diſputationes. quæ profectò (ſi verũ volumus) plus ſtrepitus & verborum, quàm vtilitatis ſecum ferunt. Bonum autem conſilium (ait Seneca) nemo clamore dat. nec enim multis verbis ad id opus eſt, ſed efficacibus. Itaq; vt ſemen, quamuis ſit exiguum, cùm occupauit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur: ſic tametſi pauca ſint & anguſta, quæ dicuntur, tamẽ ſi illa animus bene exceperit, exſurgunt, & radices agunt in abdito pectoris penetrali.

Alterum, quod occupem, Obſeruationum inæqualitas eſt. Scio enim ego, fore ſubducti ſupercilij carptores, qui circa floſculos occupati, velut obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, hoc velut obſcurum, illud tanquam tritum & vulgare, in faſtidium & reprehenſionem ſint tracturi. Quibus hoc reſponſum velim, nihil in cuiuſquam mortaliũ ſcriptis conſtans & æquabile per omnia reperiri; tantum abeſt, vt in adoleſcenti & collectaneo hoc ſcripto. Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylua ſurrexit. Hoc itaq. potiùs in his, quæ vulgamus, inſpicere debebant, aut nihil illis commodi eſſe, aut aliquid certè non incommodi. Quædam ſuperuacua ſunt, fateor, quædam tanti non ſunt: quædam

dam

dam etiam contemnenda ipſa familiaritas facit. Sed hæc noſtra caligo non ſemper peruidet, & optima nobis videntur, quæ à probatiſsimis ſunt mutuata. Quod ſi à nobis aliquid commodè nonnũquam dicitur, intuendum eſt, non vndè veniat, ſed quò eat. quidquid enim prudentiorem virum poteſt facere, id bonũ eſt ſuo iure, deprauariq́; in malum non poteſt, non debet. Adhæc, permittendum aliquãdo iuuenibus eſt, ſequi impetum animi: &, vbi abundè per priorũ veſtigia graſſati ſunt, vel inuenire aliquid, vel mutare, vel addere, illis licere debet. non enim domini noſtri ſed duces fuerunt, qui antè nos docuerunt. patet omnibus prudentiæ hæc palæſtra, nondum occupata eſt. *Breuiter, quemadmodũ cum ex pul-*

pito omne tibiarũ organorumq́; genus conſonuit, fit conſeuſus ex diſſonis: eadem libelli huius conditio eſt, vt multa in illo doctrinæ, multa præcepta, multarum ætatum exempla velut in tabellam coniecta & conſpinata ad prudentiam vnanimi conſenſu lectorem deducant. Quales igitur cunq́; ſint hæ ὑπομνήσεις, Lector, tu illas ſic lege, tanquã iuuenilis ſtudij primigeniũ fœtum, & meliora cum tempore contumaciter quærentis. Quod ſi vna & altera parùm propitias aures apud te offenderit, ne totũ protinus abieceris, aliquid certè reperies, quod cum fructu in pectus tuum demittas. Sin malueris, cuncta hæc in ſuperuacuum illum liberalium ſtudiorũ gregem reponas licet: Vulgatum illud Plinij memoria repetens, Nullum eſſe librũ tàm

malum

malum, qui non ex aliqua parte prodeſſet. Satius quin etiam fuerit, ſuperuacua legere & ſcire, quàm nihil.

Vobis verò Nobiliſſimi viri, libellum hunc datum dicatumq́; eò, non quòd multum ille facturus ad Veſtram excellentem Prudentiam, quam ſummâ doctrinâ, maximo rerum vſu in ciuium Veſtrorum ſalutem parauiſtis, mihi videatur: ſed vt publicum priuatumq́; incredibilis obſeruantiæ & amoris ergà Vos mei, inter homines exſtaret, atq́; vtinam maius aliquod aut ſpecioſius munus vræ manu mihi foret, credatis mihi velim neminem vnum ſub Sole eſſe, cui magis velim, magis debeā, quàm Vobis. Tanta eſt apud me memoria Veſtrorum in me meritorum, quæ largiter & velut recluſo quodam fonte

ſonte benignitatis ad nos manauêre. Nec verò me priuata hæc ſolùm in venerationem nominis Veſtri rapuerunt: publicum illud totum eſt, quod & in Vobis Ciues extollunt, & exteri maximo opere admirantur. Incredibilis Cōſtantia in agendo, Fortitudo in periculo, Prudentia in conſilijs, Pietas & Munificentia in egentes. deniq; ergà ſummos & infimos iuxta ſtudium æquabilitatis. Sed ego in gyrum ſermonem reduco, ne auribus hæc Veſtris potiùs, quàm veritati videar dare. & verò, etiam tantùm à me dictum apud Vos, de Vobis non oportuit, niſi quà publicè, quà priuatim intereſſet, ſummis hominum virtutibus præmiū & præconium apud poſteros exſtare, quo ij tantò acriùs ad ſequendū & imitandum veſtigia maiorū excitentur.

Vos igitur Nobiliſsimi viri, ſuſcipite hunc fœtum, & patrocinio Veſtro focillamini: quod ſi feceritis, equidem in haud magno diſcrimine ponam, vtut ab alijs accepta æſtimataq́; hæc mea fuerint: ſed cum Philoſopho me ſolabor: à quo cum quæreretur, quò tanta diligentia artis ſpectaret, ad pauciſsimos peruentura: ſatis ſunt, *reſpondit*, mihi pauci, ſatis eſt vnus, ſatis eſt nullus. *Sic ego non hæc multis, ſed mihi primùm, dein Vobis aſſcripſi*, ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus. *Valete. Argentinæ, Cal. Iul. Anno 1601.*

PAV-

PAVLVS MELISſus Francus, Comes Pal. & Eq. aur. ciuis Roman.

AD IOAN. BAPTISTAM LENCCIVM.

DIVINÆ ſtudio qui ſapientiæ
Ardet, quique bonum quæ deceant virum
Scitê noſſe cupit, non popularium
Communes apinas, triátque ſomnia,
Nec vulgi ſtolidi vana ſophiſmata
Conſectetur, inops mentis. Ad ardua
Extollens animum, diáque Palladis
Rimans conſilia, & ſenſa cata Dices,
Ac veris Sophiæ ſe penetralibus
Immergens, ſolidâ laude merebitur
Ornari iuuenis. Te Themis inclita,
LENCCI, te celebris virgula Mercurî
In rectam Genio præſtite ſemitam,
Quam ſuadet Ratio ſobria, dirigit,
Edentem ſpecimen diuitis ingenî,
Acris judicij, pectoris enthei.
Tantis macte animi dotibus. integer
Sanguis Francigenûm, macte! Quid impedit,
Quo te IANE minus ciuibus optimis
Adſcribat quoniam præcipis optima,
Eudæmon patriæ ſplendida ciuitas?
Eudæmon, oculus bellior vrbium.

CAPITA

CAPITA OBSERVATIONVM *Politicarum.*

1. Vſum, certiorem ad Prudentiam ducem eſſe, Memoriam ſiue Hiſtorias tutiorem.
2. Hiſtorias ſiue rerum geſtarum memoriam, omnibus mortalibus maximè neceſſariam eſſe.
3. Peregrinatio ad prudentiam multùm confert.
4. Generoſiſſimum quenque ad altiſsima quæque tendere.
5. Virtus neminem à ſe ſpernit.
6. Non metu ſed beniuolentia Imperia ſtabiliri.
7. Reges ſine animi Moderatione felices eſſe non poſſe.
8. Quæ res malos principes faciat.
9. Magnificis legatorum promiſsis non credendum.
10. Animi magnitudo in principe etiam adflicto laudabilis.
11. Aulicorum luxuriam paulatim reſtinguenda.
12. Subditorum opes tyrannis inuiſæ.

13. Ami-

13. Amicis quando obſequendum.
14. Principes vnum aliquem è miniſtris ne nimium faciant.
15. Officia non rectè vendi.
16. Dignitates & officia inuitis conferenda eſſe.
17. Gradatim honores augendos.
18. Principes quomodo verum cognoſcant.
19. Subditorum quàm principis maiora beneficia in ciues exſtare, periculoſum.
20. Ab omnibus laudari contemtũ quàm gloriam principi parit.
21. Sæpè exigua bona cũ maximis malis coniuncta ab hominibus experi.
22. Prauũ maieſtatis acquirendæ ſtudiũ.
23. Magiſtratus virum oſtendit.
24. Principi à Liberorum numero maxima ſecuritas.
25. Vtrum in bonos an in malos facilius imperium.
26. Experientia.
27. Rarius à vulgo conſpici magnis viris reuerentiam parit.
28. Princeps in ſe vno reponat omnia.
29. Neceſſitati parere pro tempore prudentia eſt.
30. Violentæ & ſubitæ mutationes periculoſæ.

Observationvm.

31. Vetera nouis ſemper præferenda.
22. Non diu in eoſdem bellandum.
33. Diſcordiam inter hoſtes ſerere vtile.
34. Princeps factis quàm dictis maior habetur.
35. Principes dicti tenaces ſunto.
36. Bonæ malæue indolis notæ.
37. Beneficia quomodo facilimè impetrentur.
38. Occaſio anima actionum humanarũ.
39. Rei alicuius exſecutio inuitis non demandanda.
40. Ægri & triſtis animi medela.
41. Factiones ſubditorũ periculoſæ principi.
42. Principes grauius, quã cæteros mortalium affligi.
43. Suſpicionibus vnicè excruciari principes.
44. Delationes auidè à principibus arripi.
45. Partium ſtudia vitanda principi.
46. Multitudinis impetus excipiendus magis, quàm reprimendus eſt.
47. Homini iniuria adfecto nihil committendum. (ens.
48. Pompoſa oratio principi inconueni-
49. Εχεμυθία Principum.
50. Omnia principum patere.

51. Πολυ-

51. Πολυπραγμοσύνη inuidiā comitem habet.
52. Faſtidium principis aut Populi quomodo euitetur.
53. Principes ne omnibus ſemper pateant.
54. Baſis regnorum.
55. Fabri fabrilia tractent.
56. Ars perſuadendi pop. rem ſuſpectam.
57. Naturalis quorundam aſperitas.
58. Heroum filij noxæ.
59. Principes viuos laudare vanum.
60. Satius eſt principem quàm conſiliarios malos habere.
61. In rebus arduis conſiliū ſubitum, optimum.
62. Victoria inſatiabilis & inquieta.
63. Præfecturarū crebra mutatio periculoſa.
64. Homines ſæpè reprehendunt propter quæ laborant maximè.
65. Magiſtratus munus.
66. Fiſco non nimium ſtudendum.
67. Duellum anceps & periculoſum.
68. Fœminarum nimia potentia in aulis longè perniciofiſſima.
69. Principes deſignatos viuente adhuc prædeceſſore modeſtia ſumma decet.
70. Magnæ ciuitates bellis ſemper occupandæ.

71. Prævalida imperia haud diuturna.
72. Media regni à principe tenenda.
73. Boni ducis encomium.
74. Ingenio quàm manu vincere glorioſius.
75. Ab inceptis haud facilè diſcedendum.
76. Vtilitatis in omni re maximus aſpectus.
77. Quantùm interſit, quid de vnoquoq; homines ſentiãnt.
78. Quid & quantum pop. concedendũ.
79. Populum calamitate perculſum munere aliquo conſolandum eſſe.
80. Inuidia & Ambitio ducum pernicioſiſsima.
81. Ducum multitudo exitioſa ſemper exiſtit.
82. Luxuria populi ægræ civitatis indicium.
83. Nullâ re efficacius regi homines quàm religione.
84. Subditorum tumultus quomodo reſtinguendus.
85. Potentiam quærenti quod hominum genus aptiſſimum.
86. Periculoſa omni Reipubl. libertatis aſſertio.
87. Falſis & ſpecioſis magis quàm veris vulgus hominum capitur.

88. Hominis ſeditioſi notæ.
89. Neutralitas periculoſiſſima.
90. Ratio præcedentis præcepti.
91. Pleriſque magnis imperijs ex ſeſe interitus.
92. Exteri Inuidiæ indigenarum obnoxij.
93. Bello quomodo vir magnanimus vtatur.
94. Omnium conſiliorum incerti exitus.
95. Nunquam eodem animo bellum geri quo eſt ſuſceptum.
96. Mutuus potentiæ metus ſocietatis duramentum.
97. Iniuria quàm vis grauior hominibus.
98. Fratrum, amicorumque odia acerbiſſima.
99. Amicitiæ quæ maximè durabiles.
100. Societates quæ maximè vtiles.
101. Communis cuſtodia principatus, neminem vnum nimis magnum facere.
102 Contemtum magis quã odium euertendo regno eſſe.
103. Luxuriam quàm crudelitatem magis principibus nocere.
104. Nihil contemnendum.
105. Populorum æmulationes.
106. Loca munita ſuſpectis hominibus nõ committenda.
107. Facilius quædam vinci, quàm teneri.

108. In maiore eos authoritate eſſe, qui acquirunt regna quàm qui conſeruant.
109. Nimia felicitas cauſa interitus Rerumpub.
110. Gradus ruinæ Rerumpub.
111. Præſtat Remp. quàm in eâ priuatos florere.
112. Priuatæ rei ſtudium publicæ exitio eſſe.
113. Quomodo auxilia ab alijs flagitanda.
114. Fratrum odia turpiſsima.
115. Bonæ artes quando florentiſſimæ.
116. Principes ægrè conſilia aliorum admittunt.
117. Magna negotia magnis viris committenda.
118. Duplex aditus ad Rempub. ſiue aulam.
119. Homines à magno ſe facinore principi commendare debent.
120. Amicitiam magnatũ tutiſsimam viam ad honores eſſe.
121. Auctorem dignitatis ſuæ offendere periculoſum.
122. Quales ductores ad Rempub. & honores deligendi.
123. Quales ſocij in re gerendâ nobis ſint adiungendi.
124. Imperandi cupido.

125. Obſequium.
126. Pollicitationum promtitudo.
127 Contemtu & dicacitate odia hominũ facilè conciliari.
128. Fato volente, homines quoq; velle neceſſe eſt. (turna.
129. Potentia ſeditione quæſita raro diu-
130. Æqualium amicitia ad Potentiam parùm ualida.
131. Principes ex ſeruorum delictis malè audire.
132. Tyranni magnos viros non ferunt.
133. Fortunâ modeſtè vtendum.
134. Vni ſoli crebra Imperia non committenda.
135. Vulgus infirmiori plerunq; fauet.
136. Reſpub. magnas non poſſe quieſcere.
137. Inopinata mala grauiora.
138. Quæ res factiones gignat.
139. Initia principatuum fermè meliora, quàm finem eſſe.
140. Principes imperiti.
141. Principi tenero quales magiſtri præficiendi.
142. Ex vna & altera virtute de vniuerſo homine perperàm judicari.
143. Inferior non lædendus.
144. Aulicorum mores & ingenia quomodo princeps cognoſcat.

145. Prin-

145. Principum Largitiones quales.
146. Nec bono Conſultori præmium, nec malo pœnam ſtatuendam.
147. Amari quàm metui à principe melius.
148. Cur egregiæ nonnunquam operæ minus liberaliter à principibus remunerentur.
149. Plus amant principes quibus beneſecerunt, quàm à quibus acceperunt.
150. Beneficia quomodo à principibus petenda.
151. Ratio præcedentium præceptorum.
152. Maieſtas & auctoritas amori præferenda.
153. Quatenus liberalis princeps eſſe debeat.
154. Magna indoles non ſine vitijs.
155. De ingenijs hominum rectè & examuſsim iudicare, ſuprà hominem eſt.
156. Principum arcana indagare periculoſum.
157. Magnæ difficultatis liberam Remp. oppugnare.
158. Cum ſacerdotibus belligerare infelix ſemper habitum.
159. In ſumma pace, de bello maximè cogitandum.
160. In facienda pace vt inſidiæ caueãtur.
161. Viri magni in conuitia fortes.

162. Maieſtas quî comparetur.
163. Prouidentia in rebus humanis.
164. Ex aliorum conſilio ne toti pendêre principes videantur.
165. Meticuloſi feliciores audaculis.
166. Aduerſi prælij Incommoda.
167. Prælio ſecundo vel aduerſo quid agendum.
168. Principes quomodo poſteris vacuum ab ambitione regnum relinquant.
169. Bonis conſilijs regna ſtare.
170. Modeſtia apud magnos rariſsima.
171. Quæſtoribus rapacibus cur quidam vtantur.
172. Aulicorum ſtulta ſupetbia.
173. Difficile in peregrinos imperium.
174. Æmulis ad tempus cedendũ potius, quàm reſiſtendum.
175. In principibus magis conſpicua potentia Dei, quã cæteris mortalium.
176. Res magni momenti ambitioſis & ferocibus non committendæ.
177. Miſeria prudentiæ mater.
178. Principes præmia, miniſtri pænas exſequantur.
179. Legati amicorum principum quomodo excipiendi.
180. Hoſtium legati quomodo habendi
181. Spes hominum pertinax.

182. Legum mutatio in vniuerſum pericu-loſa.
183. Modeſta imperitia, ambitioſâ peritiâ potior & vtilior eſt.
184. Peritia in belli duce magis ſpectanda quàm virtus.
185. Nimia demiſſio, contemtum veriùs, quàm amorem parit.
186. Inuidia duplici ratione euitari poteſt.
187. Mala vt ferenda.
188. Prudentia publica.
189. Benefacta benefactis occupanda.
190. Metu pœnarum multas ſeditiones conflari.
191. Effrænatio animi humani.
192. Paupertatis & opulentiæ effecta.
193. Præmiorum vis.
194. Principes ciuitatum belli tempeſtate criminationibus obnoxij.
195. Fraus quàm vis turpior.
196. Parendi quàm Imperandi ſtudium vi-tuperabilius.
197. Nunquam verè amicum ſperes, à quo ſemel læſus es iniuſtè.
198. Mercatores ad Rempub. & Conſilia publ. inepti.
199. Nec humiles nec excelſi nimis mini-ſtri, optimi.
200. Obſequio paratur amor.

201. Omne egregium facinus principi aſſcribendum.
202. Scelerata quorundam perfidia.
203. Aulicorum ruina, à triplici ferè cauſa.
204. Religionis mutatio cauſa & caput omnis in Repub. mali.
205. Reges quando optimè imperent.
206. Plebi audaces grati.
207. Populi natura.
208. Regnorum præcipites caſus.
209. Nouatores pernicioſi.
210. Principijs obſtandum.
211. Mala ſimul & ſemel non inchoanda.
212. Parta tueri, quàm noua acquirere naturâ prius eſt.
213. Conſilio & celeritate res maximas patrari.
214. Muti & mortui magiſtri cur optimi.
215. Non imprudenter exteros in conſilia legendos.
216. Modeſta religio principi conueniens eſt.
217. Fatum in omni re dominatur.
218. Secretum anima conſiliorum.
219. In rebus arduis media via nulla eſt.
220. Nimium acuti conſultores peſsimi.
221. Modus conſiliariorum ſententias explorandi.
222. Peſsimum veri iudicij venenum ſua cuique

cuique vtilitas.

223. Ingratitudo quorundam ergà miniſtros.

224. Sæpiùs de re magna conſultandum.

225. Belli temeritas vitanda.

226. Detrahere alteri cum duplici iniuria coniunctum.

227. Suſpicionis natura.

228. Aulicorum animi mutabiles.

229. Principes poteſtati aliorum ne facilè ſeſe committant.

230. Vltio principum cæſorum.

231. Principes contemti.

232. Lenitas decora principi.

233. Vltio modeſta.

234. Gratitudo principum.

235. Subditi ad principem ſe formant.

236. Principum autoritas à ſplendore miniſtrorum.

237. Conſiliarij quo ordine audiendi.

238. Natura potentiā quærentis & adepti.

239. Regibus & Rebusp. etiam amicorum opes formidabiles.

240. Odi ſapientem, qui ſibiipſi non ſapit.

241. Futuris non confidendum.

242. Regum Natura.

243. Conſilia prudentum ex euentu malè iudicari.

244. Principes minuti aſtu magis quàm vi

rem gerere debent.

245. Silentium in homine irato ſæuæ cogitationis indicium.

246. Fortuna contrà prudentiæ rationem haud diuturna.

247. Religio & pietas principes verendos facit.

248. Inſidias vt tollant principes.

249. Simulationis & deceptionis notæ.

250. Præmia.

251. Remiſſum imperium deterius quàm aſtrictum & ſeuerum.

252. Luxus & temulentia.

253. Vulgaris opinio rarò vera.

254. Conuentiones rebellium cũ rege ſuo infirmiſsimæ.

255. Iniuriæ prioris tolerantia, alterius inuitatio eſt.

256. Anceps & periculoſum exemplis iudicare.

257. Periculoſiſsimum ab alio conſilium capere.

258. In alienis ſemper homines plus ſapere.

259. Reges proſpera ſibi, aduerſa miniſtris imputant.

260. Obſequium militem decet.

261. Seueritas Ducis illaudata.

262. Fortuna neruus conſiliorum.

263. Mediocritas melius tuetur Reſp. quàm nimia potentia.
264. Conſilium mutare non inconſtantis eſt.
265. Educationis magna vis in magnis ingenijs.
266. Fruſtrà à quibuſdam antiquos mores repeti.
267. Eminentiſſima alicuius profeſſionis ingenia in idem fermè tempus & florere & conſeneſcere.
268. Ratio huius rei.
269. Diuino arbitrio omnia permittenda.
270. Crebri ſed breues & iucundi cum principe ſermones ſunto.
271. Potentioribus cur ſeruiendum.
272. Homo non illicò ex fronte iudicandus.
273. Comitatis vſus.
274. A quibus rebus æſtimandus princeps.
275. A puero ſtatim formandi principes.
276. Principum excellentia in quibus ſita.
277. Quæ ad officia bellica potiſſimùm ſpectent.
278. Imperatori liberum arbitrium permittendum.
279. Non poſſe amorem cũ timore miſceri.
280. Obſequio ſubditorũ mitigantur Imperia.

281. Aliæ belli, aliæ pacis agendi rationes.
282. Monarchiæ quare libera reſpub. præferenda.
283. Conſiliorum robur, idem ſentire.
284. Lentæ conſultationes pernicioſæ.
285. Hoſtes inuicem diſſidentes non temerè inuadendi.
286. Exempla.
287. Fraudis qui ſecuri.
288. Citiùs malam quàm bonam fortunam homines concoquere.
289. In iudicando, merita cum delictis non penſitanda.
290. Quando conſilium capiendum ſit.
291. Potentes miniſtros accuratiùs, quàm ipſos dominos colendos eſſe.
292. Gradus pœnarum faciendos.
293. Magiſtratus fauorem non inſuper habendum.
294. Miniſtri rectè nonnunquã dominos mutant.
295. Blanditiæ cur tàm acceptæ hominibus.
296. Promiſſa ſine effectu vtilia quidem, minus tamen honeſta.
297. Cautè & prouidè promittendum.
298. A moleſtis & inuidioſis verbis abſtinendum.
299. Occaſiones rerũ idoneæ non prætermittendæ.

300. Aulicorum exitus & vices.
301. Omnium imperiorum fatales periodos eſſe.
302. Neminem vnū ad finem vſq; florere.
303. Regni mox ruituri notæ.
304. Monita ad Principes de vno non nimium augendo.
305. Qualibus & quomodo legatis in re militari vtendum.
306. Tyrannorum nimius amor malæ cogitationis nota.
307. Vulgo præſentia ſemper ingrata.
308. Nullius non ſuſpecta nobis amicitia debet eſſe in negotiis publicis.
309. Omnes timidi ſuſpecti.
310. In rerum permutatione fatum ſibi cōſilia noſtra aptat.
311. Præſtantium virorum mortes magna turbamenta in regnis ſequuntur.
312. Mediocria regnorum haud diuturna.
313. Seditiones non de paruis naſci.
314. Principium dimidium totius.
315. Respub. ſæpè ab auctoribus ſuæ felicitatis peruerti.
316. Priuatis magis quàm publicis malis homines vri.
317. Delictorum impunitas.
318. Regni iam iam labentis notæ.
319. Κακοζηλία rarò felix.

310. Libertatis pertinax amor.
321. Beneficia lenta.
322. Omnis tyrannus adulator.
323. Ducis militaris vtilitas.
324. Omnes ferè propagationes regnorum à Septentrione.
325. Prudentum Conſilia.
326. Nimia prodigalitas maximum ſignū timiditatis.
327. Conciliatores.
328. Animi offenſi diſſimulatio.
329. Miles extraneus.
330. Neceſſitas omnem legem frangit.
331. Imperium malis artibus quæſitū, non facilè corrigi.
332. Virtutes principum
333. Iudicij expers vulgus.
334. Suppliciorum lenitas & lentitudo.
335. Præpotentibus Rebuſpub. nihil vtilius quàm negotium.
336. Ambitioſos non niſi per turbas emergere.
337. Ariſtocratia non durabilis.
338. Ciuile bellum.
339. Erroris emendatio non reprehendenda.
340. Viros bellicoſos Veneri mancipatos eſſe.
341. Prouocatores rarò felices.

342. Neceſſitatis maximum robur.
343. In rebus arduis omnia extrema penſitanda.
344. Omne ſublime ruinæ proximum.
345. Vulgi judicia de geſtis rebus.
346. Populi cupiditates.
347. Mores noſtri ſeculi.
348. Nimium diuites, non boni.
349. Qui homines, & quomodo virtutis compotes fiant.
350. Admonitio quomodo in præceptis hiſce politicis verſandum.

IOAN.

Digitized by Google

IOANNIS BAPTISTÆ LENCCI OBSERVATIONES Politicæ.

OBSERVATIO I.

Vſum certiorem ad prudentiam Ducem eſſe, Memoriam ſiue Hiſtorias tutiorem.

CVM DVO HOMINIBVS propoſiti ſint modi, quibus facilè mutari in melius queant, vnus ob ſuam cuiuſque calamitatem, alter ob alienæ calamitatis exemplum. [*Polyb. lib. 1.*] procul dubio primus magis quidem efficax eſt, verum non ſine detrimento eius, cui accidit. Secundus verò etſi non habet tantùm virium in ſeſe, ideò tamen præſtat, quòd omnis damni prorſus expers

eſt. Quo fit, vt priorem quidem modum nemo ſit, qui ſponte eligat, quandoquidem abſque dolore atque periculo, denique longo temporis ſpatio accidere id nemini poſſit: hūc verò omnes venantur libenter, quòd per eum ſine aliquo detrimento ſuo, id quod melius eſt, cernere vnicuiq; liceat. Idcircò rectè conſideranti, optima ad veram vitam inſtitutio videtur eſſe Experientia, quæ fit ex cōmemoratione rerum ab alijs geſtarū. Sola enim hæc ſemoto omni prorſus detrimento optimos veri boni iudices perficere valet.

II.

Hiſtorias ſiue rerum geſtarum memoriam omnibus mortalibus maximè neceſſariam eſſe.

Cæterùm ita ego cenſeo, ſi quis omnibus neceſſarijs ita inſtructus & præmunitus eſt, vt nullâ re extrinſe-

cus egeat, huic iocundam quidem, non tamen fortaſſis neceſſariam fore præteritarum rerum cognitionem. [*Polyb.d.l.*] Verùm tamen verò cum neque priuatis neque publicis in rebus affirmare id quiſpiam de ſe auſit, cùm hominem ſeſe, neq; quidquam humani ab ſe alienum, ac præſentem felicitatem (*vt ſunt res mortalium fluxæ atque inſtabiles*) labi poſſe intelligat, non modò iucundam, verùm etiam ad primè neceſſariam rerũ geſtarum notitiam dixerim. Etenim quo pacto quiſpiam vel ſibi vel patriæ illatã iniuriã, ſocios atque adiutores ad eam propluſandam inuenerit? vel nouis rebus intentus alios in ſententiam ſuam traxerit? vel denique proſperè cedentibus cunctis, ſuorum animos rectè confirmauerit, niſi ſi ſingula quæque, vt à maioribus eius geſta ſunt, cognitum perſpectumque habuerit? [*v. Ariſt. in Rhet.*

lib. 1.] Ita enim in rebus præſentibus paratus ſemper atque inſtructus ea loqui atque agere poterit, quibus & conſilia cunctorum intelligantur, & veritas omnibus patefiat. *Præteritæ quippe res, optima rerum gerendarum documenta ſunt*, facileq; nobis oſtendunt, vniuſcuiuſque ratione, conſilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parere poſſit. quid quenque aduerſus nos mouere, quid ad miſericordiam, quid ad indignationem, quid ad iuſtitiam atq; æquitatem impellere. [*Plato.*] Quæ omnia & publicè & priuatim plurimùm in vita mortalium momenti habent. Quapropter ego quidem ita ſentio, Scriptores hiſtoriarum, eoſque qui in earum lectione verſantur, non tàm res geſtas, quàm quid eas ſequatur atque antecedat, quibus conſilijs & auxilijs res peracta, & quem finem adepta ſit, intueri debere:

re: vt inde ſibi ſuæque Reip. quod ſalubre & frugiferum [*Liu. lib. 1.*] appareat, capere: quod fœdum incœptu, fœdum exitu, vitare & declinare, & ſic omnem vitam ſuam tanquam in ſpeculo ad alienas virtutes ornare & componere tutò poſſint.

III.

Peregrinatio ad Prudentiam multum confert.

Omnibus ſeculis illi prudentiores habiti ſunt, qui multorum hominum conuerſationibus ſunt eruditi: [*Caſſiod. var.*] ſiue occultâ id quadam ratione: an quòd natura mortalium ſicut duris laboribus excitatur, ita per torpentia otia obbruteſcit. Vlyſſes certè, niſi tanto ſtudio peregrinatus fuiſſet, in laboribus proprijs forſitan latuiſſet. Cuius ſapientiam ob id maximè aſſeruit Homeri carmen, quod.

Multorum mores hominum vidiſſet et vrbeis.

IV.

Generoſiſſimum quenque ad altiſſima & arduiſſima tendere.

Celſos curſus niſi confidentia magna non appetit, dum generoſi eſt animi optare quod ſummum exiſtit. [*Caſſiod. lib. 1. Var.*] Audentes facit homines fiducia ſui, quia ſe non patitur occulere, quem præcipit natura prodire. Sed quemadmodum flamma ſurgit in rectum, iacere ac deprimi non poteſt, non magis quàm quieſcere: Ita animus noſter in vehementi motu eſt, nec humilibus aut ſordidis rebus delectatur, ſed magnarum rerum ſpecie ad ſe vocatur, & extollitur. adeò in ipſa deſiderij qualitate (vt ita dicam) excellens & præclara indoles animi cognoſci poteſt. Quis enim palæſtricæ artis ignarus

gnarus in ſtadium luctaturus deſcendat? aut quis certamini miſceatur, quod virtutis conſcientia non perſuadet? in ipſis conatibus inualida langueſcunt, quæ meritorum viriumque præſumptionibus non adiuuantur.

V.

Virtus neminem à ſe ſpernit, ſed à plebeio, & humili loco nato, æquè atq; à potente & claro occupatur.

Non faſtidioſo aditu virtus excitata, ingenia viuida ad ſe penitrare, patitur: [*Valer. Max.*] Neque hauſtum ſui cum aliquo perſonarum diſcrimine largum malignùmve præbet: ſed omnibus æqualiter expoſita quid cupiditatis potius, quã quid dignitatis homines attullerint, æſtimat, inq; captu bonorum ſuorum illis ipſis pondus examinandum relinquit, vt quantum ſubire animo ſuſti-

nuerint, tantum ſecum auferant. Quo euenit vt & humili loco nati, ad ſummam dignitatem conſurgant, & generoſiſſimarum imaginum fœtus in aliquod reuoluti dedecus acceptam à maioribus lucem in ſpiſſiſſimas tenebras convertant.

VI.

Non metu ſed beniuolentiâ Imperia ſtabiliuntur.

Non metus ac vis, non caterua Iuuenum ſtipantium, adamantina ſunt vincula regni: ſed beniuolentia, ſtudium, gratificandique voluntas, & reuerentia virtutis, quam in Principe ſuo ciues admirantur. [*Plut. in Cleom.*] *Qui vbi adſueuerint non Principem ſed Principi ſuo metuere, multis ille oculis videt, multis auribus audit, præſentitq; ea quæ aguntur.* Huius ſententiæ documentum nobis in Cleomene Spartanorum rege ſuccurrit. qui licet

cet triennium à Rep. metu Antigoni & Macedonum abſuiſſet, ciues tamen eius non prius de alio rege creando comitia habuère, quàm de obitu regis ſui nunciatum eſſet. *Tantum ſcilicet manſuetudo atq; benignitas principum poteſt, vt non ſolum cùm ſint præſentes, verùm etiam maximo interuallo diſiuncti, quoſdam quaſi fomites amoris & beniuolentiæ ergà ſe in hominum pectoribus relinquant.*

VII.

Reges ſine Animi moderatione felices eſſe non poſſe.

Siue viribus quis polleat, ſiue genere & maiorum claritudine omneis homines anteueniat, ſiue deniquo fortunâ ipſum Alexandrũ Magnum exſuperet, atque Aſiæ Imperio Africam, & cum his Europã coniungat, felicem tamen hunc negabo eſſe, niſi egregià animi moderatione in re-

bus omnibus vtatur. [*Arrianus.*]

VIII.

Quæ res malos Principes faciat.

Quæritur quæ res malos Principes faciat? Iam primùm nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, ſatellites deteſtandi, officiales auariſſimi, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles, & quod negari non poteſt, rerum publicarum ignorantia. Sed egò ſæpè audiui, Diocletianum Principem, iam priuatum dixiſſe, *Nihil eſſe difficilius, quàm benè imperare.* [*Fl. Vobiſcus in Aureliano.*] Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque vnum aliquod conſilium ad decipiendum Imperatorem ſeu Principem capiunt: dicunt quid probandum ſit: Princeps qui domi clauſus ſedet, vera non nouit. Cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur. facit iudices, quos fieri non oportet, amouet à Rep.

à Rep. quos debebat retinere. Quid multa? vt Diocletianus ipſe dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. & hinc verum fit, quod inimicus quidam ſcurra dixit, *In vno annulo omneis bonos Principes poſſe perſcribi atque depingi.*

IX.

Magnificis peregrinorum Principum per Legatos promiſſis minimè credendum.

Pleriq; legatorum, quos opes regiæ alunt, cum ad vicinos Principes aut ciuitates petendæ alicuius rei gratiâ mittuntur, vaniloqui maria terrasq; inani promittentium verborum ſonitu complent. [*Liuius.*] Linguâ factioſi, re & operâ inertes. Quos cauere & contemnere diligenter prudentes Principes, aut Reſpublicæ debent. ne vanitate pollicitationum, ad inutiles ſocietates, aut

aliud facinus malum perducantur.

X.

Animi magnitudo in Principe etiam adflicto laudabilis.

Herodes Iudæorum Rex, [*Ioſephus Antiquit.*] cùm propter amicitiam & auxilia, quæ M. Antonio hoſti Cæſaris ſubmiſerat, magnam ſibi inuidiam apud Octauium Auguſtum conflauiſſet, ipſeque adeò deprecandi cauſa ad Cæſarem veniſſet, non modò nihil de dignitate ſua deminuit, ſed multò magis magisq; magnitudinem ſuam oſtendens, majeſtatis ſuæ honorem etiam in conſpectu hoſtis ſeruauit: dùm nec ad preces, nec petitiones, tanquam de peccatis ſuis ſatisfaciens prouolueretur, ſed ratione actionum ſuarum confiſus ſine dubitatione Cæſari diceret, Amicitias ſibi maximas cum Antonio fuiſſe, omnique virtute ſua adnixum eſſe, vt illé

ille rerum ſumma potiretur. & vt militiæ eius non interfuerit pecunias tamen & frumenta tranſmiſiſſe, ſed tamen omnia minora dignitate ſua. Hac inſigni magnitudine animi tantum apud imperatorem conſecutus eſt, ut non modò iram Cæſaris declinarit, ſed vltrò magna præmia & honores, & liberrimam regni adminiſtrationem ab Auguſto domum retulerit.

XI.

Noui Reges & Principes, non nimis propeꝛiter luxuriam aulicorum, militum, ſubditorum reſtringere debent,

Principes, qui nuper ad Imperij gubernacula acceſsère, non ſubitò & vno velut ictu maiorum ſuorum laſciuiam & luxuriam, cæteraq; huiuſmodi vitia amputare debent. [*Ammianus Marcellinus*] ne aulici atque milites

militesij, quorum vita rapinis & luxuriæ aſſueta eſt, temperatum corporis cultum, ac mitem illam ciuilemq; gubernandi rationem in contumeliam ac dedecus ſuum vertentes, huiuſcemodi rectorem aliquo occulto ſcelere de medio tollant: ſed pedetentim nunc hunc velut ob culpam remouendo, illum honoris & officij velo, aliò ablegando, palatium aut caſtra ab impuris & monſtris illis hominum ſunt perpurganda, adeò moderatè, vt id fieri, niſi iam factum, non aduertant. Quod niſi diligenter & accuratè fiat à Principe, nimirum cum illo actum eſſe dicam. Neque enim quiſquam militum & aulicorum lucro illud apponit, quod vtilitatem in commune pariat. (quippe *quæ publicè proſunt, parum cuique curæ ſunt.*) ſed quæ propria cuiuſque ſunt, ſi ea minus bene ceciderint, tum nemo ſatis benignè ſecum agi putat.

Adhæc

Adhæc quicunq; profuſis & enormibus tyrannorum largitionibus ad luxum ſuum abuti conſueuerunt, ſi poſteà frugalitas à nouo Principe adhibeatur, moduſque in ijs teneatur, ob pecuniarum penuriam factam hanc mutationem, non frugalitati tribuunt, neque moderatam & circumſpectam diſpenſationem appellant, ſed miſeriam vitæ, & auaritiæ ſordes. Neſciunt enim nemini contingere, vt poſſit magna dilargiri, idq; temerè & ſine iudicio ac diſcrimine, niſi rapiat, vimque inferat alienis. Sic Dio cùm eiecto Dionyſio tyranno Syracuſanos nimis laſciuientes ſeueritate ſua retrahere à vitijs ſtuderet, omnium ciuium conſenſu trucidatus fuit. Cùm prius eo nomine plurimùm à Platone eſſet increpatus. [*Plato in epiſt. 9.*]

XII.

XII.

Aulicis, cæteriſq; ſubditis nimiæ opes ſub tyrannico & auaro Principe periculoſæ.

Diuitiæ atque opes ſubditorum vt ſuſpectæ ſemper fuère principibus auaris: Ita *paupertas probroſa nemini, ſaluti plurimis fuit.* [*Ammianus Marcell.*] Id vel vnius Pertinacis exemplo liquet. qui cum omnium longè plurima in aula Imperatoria adminiſtraſſet, ..era autem pauperrimus in palatio eſſet, beneficium hoc ex ea retulit, vt, cùm Commodus Imp. omnes familiares ſuos, quos pater ei reliquerat Clariſſimos viros, nefandis modis interfeciſſet: ſolus Pertinax (etſi domi belliq; rebus geſtis nobiliſſimus) ob paupertatē ſuam contemtus Commodo ſuperuixerit: & tandem ſublato Cæſare ad Imperij faſtigium fuerit euectus.

XIII.

XIII.

Non ſemper amicorum voluntati auſcultandum eſt.

Quantum fieri poſſit, gratificandum eſſe homini amico, haud inficias iuerim. [*Nicephorus Gregoras.*] Quouis autem tempore & in cuiuſuis gratiam omnia facere, valdè equidem recuſarim. Neq; enim quoduis tempus opportunitatem habet, neque quemlibet quiduis velle decet. Eſt enim quoddam tempus minimè tempeſtiuum, & ſæpè amicorum voluntates importunitate plenæ.

XIV.

Principes ne nimium vni ex familiaribus tribuant.

Vix vlla res eſt, quæ magis & authoritatem & beniuolentiam ſubditorum Principi conciliet, quàm honorum

norum & dignitatum inter miniſtros æqualis diſtributio [*Caſſiodor. lib. var.*] Vt contrà nulla re citius in odium & contemtum incurrere poſſunt, quàm ſi neglectis viris nobilibus & egregia prudentia præditis in homines ignobiles & indignos, omnes animi affectus atq; opes dignitateſque effundant. Quæ quidem indignatio tanta nonnunquam eſſe ſolet, vt nō vereantur in reges & principes ipſos impetum facere, donec homines eiuſcemodi de gradu nimiæ dignitatis deturbent. Franciſcus Britanniæ Dux, [*Froſſardus.*] cum totus ab vnius Ludowici arbitrio penderet, ab omni nobilitate ſua bello petitus, coactus tandem eſt, familiariſſimum hominem poteſtati nobilium permittere, qui illicò guttur eius cōtorto fune eliſerunt.

XV.

XV.

Non rectè officia & dignitates à Principibus vendi.

Peſſimè agitur cum eo regno, in quo Præſides, Præfecti, Iudices, non ad beneficium tantùm, ſed pretij magnitudinem leguntur. Cùm neceſſe ſit qui emit, vendere, & qui rem familiarem emendis dignitatibus exhauſerint, alicunde lacunas ſuas explere [*Lampridius in Alex Seuero.*] Quod Ludouicum XII. Galliarum regem dicere ſolitum aiunt: *Eos, quod auerſione emiſſent, ſingillatim poſteà vendere.*

XVI.

Dignitates non vltrò ambientibus, ſed inuitis conferendas eſſe.

Igitur omnium optimum fuerit, non niſi honeſtos & bonæ famæ viros ad honores admittere. [*Lampri-*

dius

dius in Alex. Seuero.] quibus & eos annumero, qui etſi prudentiæ & probitatis famam teneant, tamen à publicis muneribus abhorrere magis, quàm vltrò appetere videntur. Alexandri Seueri exemplo, qui cum aliquando Præf. Præt. deſignaſſet, iſque ne fieret, ſeſe occultaſſet, Imp. retractum à fuga quamuis vehementer reluctantem ea dignitate ornauit. *Inuitos,* inquiens, *non ambientes Reip. præficiendos eſſe.* Neſcio enim quomodo maiore plerumque fide & induſtria officio defunguntur, qui tardè & quodammodo nolentes magiſtratus adeunt, quàm qui ambitu & largitione eos emercantur. [*Dio in Pomp.*]

XVII.

Gradatim maiores ſemper dignitates conferendæ.

Meo arbitratu ſi liceat, vt plurimum

mum ſuadeam, omnia officia atque omnes magiſtratus lento quodam gradu & ordine, bonis viris à principe conferri, ita vt à minus bono & graui ſemper ad melius, honeſtius, grauius, & tandem ad ſumma & altiſſima munia conſcendant. Quo prudentiores, modeſtioresq; & magis idonei ad vnum quoduis eorum promoueantur.

XVIII.

Princeps quomodo verum cognoſcere poſſit.

Tot ſunt hodiè & tàm variæ repertæ artes, quibus optimi Principes decipiuntur, vt nulla neque ſagacitate præſentiſcere, nec acumine, omnes aulicorum fraudes præcipere poſſint. Quid igitur? Sciens prudenſq; verba ſibi dari patietur Princeps? minimè verò. mittat potius Exploratores habitu vili & mendicanti,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

canti, ipſe nonnunquam ignotus nunc huc, nunc illuc diſcurrat: ſæpius autem ſubditos & eos, quorum cauſa in conſilijs agitur, exploret. [*Pomp. Lætus.*] Hoc modo etiam ab ijs, quibus minimè ſperaſſet, & noua multa & maximè vera audiet.

XIX.

Principes committere non debent, vt maiora ſubditorum, quàm ſua in ciues beneficia exſtent.

Ad comparandam beniuolentiam ciuium nihil potentius beneficentia & liberalitate. Cuius tùm maximæ vires ſunt, quando communis quædam calamitas veluti peſtilentia, incendium, fames, vniuerſam ciuitatem oppreſsere. Herodes rex Iudæorum, [*Ioſephus.*] cùm crudelitate ſua odium populi vehementer in ſe concitaſſet, eodemque tempore ingenti fame Iudæa laboraret, rex callidus v-

tendum

tendum occaſione ratus, omnem ornatum regium pro frumento in Ægyptum miſit: quo in omnem ditionem ſuam diſtributo, adeò infenſiſſimorum anteà Ciuium animos ſibi deuinxit, vt poſthàc illum, non qualem experti eſſentdudum, ſed qualem in neceſſitatibus iam probaſſent, arbitrarentur & laudarēt. Tantum igitur momentum in tali liberalitate cū ſit, ſummoperè cauendum eſt Principibus & Rebuſpublicis, ne id, ab vno aliquo aut paucis ciuibus fiat, neque enim alia vlla commodior occaſio homini potenti & molienti res nouas obtingere poteſt, Ciuium animos ſibi adiungendi, quàm in graui eiuſcemodi neceſſitate, Rep. conſtituta. Itaque cum C. Gracchus itinerum refectione, vrbium inſtauratione & diuiſione agrorum, Ciues ad ſeditionem uſque ſibi adiunxiſſet, maturo conſilio à Senatu Rom. oppreſſus

preſſus fuit. [*Plut. in vita Gracchi.*] Quo identidem remedio niſi Caſſij Manlij Capitolini & aliorum machinationibus in tempore obuiam iſſent, dubium nullum eſt, quin totum Ciuitatis ſtatum fuerint labefacturi.

XX.

Ab omnibus paſſim laudari, Principibus contemtum magis, quàm gloriam parit.

Vehementer errant quidam Principes, qui eò illuſtrius nomen ſuum exiſtumant fore, ſi paſſim omnium orę & ſcriptis ipſorum laudes decantentur. neſcio enim quomodo contrà euenit, vt tantum decedat exiſtumationi Principum, quantò crebrius à viliſſimo quoq; virtutes eorum deprædicantur. atque hoc credo D. Auguſtus intellexit, qui cum eſſet gloriæ & immortalitatis appetentiſſimus,

ſimus, ſeuerè tamen per omnes prouincias Pop. Rom. cauit, [*Sueton. & Dio*] ne à quouis, ſed claris, & non niſi ſeriò res eius geſtæ celebrarentur. ne per aliorum vilia ſcripta, auguſtiſſimum eius nomen vileſceret.

XXI.

Sæpè exigua Bona cum maximis malis coniuncta inconſideratè tamen ab hominibus expetuntur.

Tanta eſt in quorundam mortalium animis veſania dicam annè cupido. vt ſi quæ bona adepturos ſe ſperent, quæ cum maximis tamen malis coniuncta ſunt, ſtatim incenſi cupidine meliorum, coniunctum malum prorſus contemnant. Cùm autem id, quod malum erat, aduènit, adeò grauiter moleſteque ferunt, vt maximè vellent ab optimis quibusq; rebus abſtinuiſſe. Huius rei, vt multa alia documenta omittam, egregium

exemplum Agrippina, impotens planè fœmina dedit [*Dio in Neron.*] Cui cum Nero filius natus eſſet, & aſtrologi quidam regnaturum dixiſſent, ſed non ſine matris cæde, Agrippina ſubitò exultans, Me verò, inquit, occidat, dum imperet. Cuius tamen rei futurum erat, vt eam maximè pœniteret.

XXII.

Prauum maieſtatis acquirendæ ſtudium in Principibus aliquibus.

Plerique Principum atq; regum, quorum nulla ex ſeſe virtus eſt, ob amentiam imperitos ſtatuarios imitantur, [*Plut. in Comm. ad principem indoctum.*] qui putant magnos ac validos viſum iri Coloſſos, ſi eos admodum diuaricatis cruribus, diſtentoſq; & hiantes fingant. Sic enim & ipſi vocis grauitate, & vultus toruitate

tate, morumque tetricorum importunitate, deniq; inſociabili quadam vita, maieſtatem Imperij exprimere ſibi videntur. nihil omninò differentes à Coloſſicis illis ſtatuis, quæ foris heroica aut diuina ornatæ forma, intus terra, cæmentis & plumbo ſunt repletæ. Hoc tantùm intereſt, quòd ſtatuarum iſtarum moles rectitudinem ſeruat perpetuam abſque inclinatione: inſolentes autem & ineruditi Principes, ab interna ſua inſcitia ſæpe numerò labefactantur.

XXIII.

Magiſtratum viros oſtendere.

Verè dictum, *Magiſtratum viros oſtendere.* nec enim vel virtus potentia ſuffulta opprimi ſe patitur, vel vitia latere diu poſſunt. Sed ſicut morbo comitiali laborantes, ſi in magno frigore verſentur, vertigine correpti membrorum agitatione & colli-

ſione capitis morbum ſuum produnt: ita magiſtratus & potentia, vbi aut virtuoſos, aut ineptos homines aliquantum opibus, gloria aut Principatu extulerunt, ſtatim eorum ſtoliditatem, aut virtutem demonſtrãt. Nimirum ut inter uacua vaſa non facilè diſcernas, quod eorum ſit integrum, quod vitioſum: vbi verò aliquid infuderis, ſtatim apparet, quod rimoſum ſit & perfluat. ita animæ hominum ſtultitiæ rimis fathiſcentes infuſam potentiam non continent, ſed foràs diffluunt cupiditatibus, iris, arrogantijs, ineptijs, & cetera vitiorum confluge. Sic Galba omnium iudicio Imperio dignus habitus, niſi imperaſſet.

XXIV.

Principi à liberorum numero maxima ſecuritas.

Nullæ neque opes aut diuitiæ, neque

que claſſes aut legiones perinde firma Imperij munimenta ſunt, quàm numerus liberorum. Cùm quia occulta quædam maieſtas in illis eſt, tùm verò quòd prauæ aliorum ſpes & fraudes cohibentur; ſi Succeſſores non in incerto ſient.

XXV.

Vtrum in bonos an in malos facilius Imperium.

Multi ſunt, qui exiſtument, reges & principes operam debere dare, vt ſubditi, quibus imperitant, in omne nequitiæ & luxuriæ genus diffluant: ita tutiores munitiorésve à ſeditionibus ciuium fore: nam & patientiores ſeruitutis arbitrantur, quos non deceat niſi ſeruos eſſe: & minimè ad ſeditiones aut bella pronos, quorum omnis vita in luxu & mollitudine conſenuit. [*Salluſt.*] Princeps igitur ſubditos metuens, neque bonos

eos, neque opulentos, neque fortes & animoſos, neq; in vniuerſum bellicoſos volens quidam vnquam parietur. [*Plato 8. de leg.*] Romanos certè verùm eſt, voluptatibus plus aduerſus ſubiectos, quàm armis valuiſſe. & hoc eſt quod Pylades Hiſtrio, increpanti Auguſto, quòd eius cauſa in plebe eſſet tumultus, reſpondit, Expedit tibi, Cæſar, populum circà nos diſtineri. [*Dio lib. 54.*]

XXVI.

Experientia.

Experientiam omnium cùm conſiliorum, tùm actionum bonarum matrem rectè quis appellaverit. nam hæc ſola omnium magiſtrorum præcepta ſuperat, & haud paulò certius finem conſiliorum pertingit, quàm memoria Exemplorum. Itaque ſæpè videmus multas res intrà parietes à viris (vt videtur) prudentibus prudenter

denter inſtitutas, longè diuerſiſsimos euentus habuiſſe. Et quæ plurimi pro expeditis & factu facilibus primo aſpectu habuerunt, difficillima & ἀδύνατα prorſus expertos eſſe.

XXVII.

Rarius conſpici à vulgo, magnis viris reuerentiam parit.

Continuus aſpectus minùs verendos magnos homines ipſa ſatietate facit: [*Liuius.*] contraque maieſtati maior ſemper ex longinquo & abſtractione quapiam reuerentia venit. Igitur prudenter Pericles, [*Plut. in Pericle.*] cum ſe ad Remp. capeſſendam accinxiſſet, ne nimia familiaritate, ſui contemtum amicorum animis propinaret, conuiuia & omnem id genus comitatem atq; conuictum planè vitauit, adeò vt toto eo tempore, quo in Rep. verſatus eſt (quod ſanè longum fuit) ad nullius amico-

rum cœnam venerit. Quin etiam veritus, ne continua præſentia ſua ſatietatem ſui apud populum gigneret, quaſi per interualla in concionem venit, non quacunque re oblata orationem habens, neque ſemper ad multitudinem progrediens: ſed tum demum ſui copiam faciens cum magna aliqua res operam ipſius requireret, reliqua amicis & ſocijs oratoribus ſubmiſſis expediebat. Nimirnm ea vis eſt conuictus atque conſuetudinis nimiæ cum amicis, vti omnem maieſtatem deprimere valeat: neque in familiaritatibus retineri grauitas illa, quæ in magnis hominibus requiritur, poſſit. [*Plut. in Themiſtoc.*] Magnus Nego, tanta maieſtate ſuis hodiè imperat, vt ab omnibus tantùm non adoretur. nullâ aliâ causâ, quàm quod extrà pedes nunquam reliquum corpus conſpiciendum ſubditis ſuis præbeat. Numidæ etiam

etiam adeò retinentes maieſtatis fuêre, vt nulli mortalium gentis ſuæ oſculum ferrent. *Quidquid igitur in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & tritâ conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe conuenit.* [*Val. Max. lib. 2. cap. 6.*]

XXVIII.

Princeps in ſe vno reponet omnia.

Eum ego principem & prudentem & felicem iudico, qui in ſe vno, ſpes ſuas reponens, in omnes occaſiones augendi muniendique ſeſe, ſumma diligentia incumbit. Nec enim eſt quod quis aut amicitijs propinquorum, aut finitimorum fœderibus nimium confidat: *nam leui momento magnæ ſæpè amicitiæ & ſocietates dirimuntur. Vana igitur omnis potentia, non ſuâ vi nixa.* [*Tacitus.*]

XXIX.

Temporibus cedendum.

Tempori cedere, id eſt, neceſſitati

inſeruire, ſemper ſapientis eſt habitum, cuius neceſſitudinis præpotentem vim nemo prudens neſcit. Igitur rectè culpatur Ageſilai pertinacia, qui omnibus modis pacem & communia fœdera Græciæ impediebat, licet omnem agrum Spartanum igne, ferro, manibusq; Thebanorum deformatum eſſe videret [*Plut in Ageſilao.*] Laudatur hac in re Amilcaris prudentia, qui quandiu Carthaginienſium rebus ſpem reliquā putauit, nullum neque periculum, neq; laborem defugit, ſed ſumma induſtria omnia pro adipiſcenda victoria attentauit. Poſteà verò quàm fruſtrà laborari vidit, cedens tempori & fortunæ, pacem cum Romanis fecit, vt intereà patriam quiete, pecunia, opibus reficeret. *Adeò optimi principis officium eſt, poſſe non ſolùm reſiſtendi, ſed etiam cedendi tempora prudenter perſpicere.* [*Polyb. lib. 3.*]

XXX.

XXX.

Violentæ & ſubitæ mutationes periculoſæ.

Anceps & operoſa omnis eſt mutatio, maximè quæ ſubitò & quadam cum violentia ſuſcipitur. facilior autem quæ ſenſim & paullatim declinando fit [*Ariſt pol. lib. 6.*] quod quidem natura ipſa nos docet. quæ pedetentim ab hyeme nos ad perferendum vehementes calores abducit, ab æſtu ad acrem hyemem. quam imitando peruenire ad id, quo neceſſe eſt, iam ante condocefacti debemus. [*Xenoph. lib. 6. n. 161.*] Sic Scipio Africanus, cùm in luxurioſiſſimum exercitum incidiſſet, non vi neque pœnis violentis, ſed negotio & exercitatione paulatim eum ad frugaliorem vitam reduxit. Et Auguſtus Cæſar non vno velut ictu Senatus populiq; Romani poteſtatem abſcidit, ſed ſenſim

militem donis, poqulum annonâ, cunctos dulcedine otij demulcendo, munia Senatus, magiſtratuū, legum, nullo aduerſante, in ſe traxit. [*Tacitus lib. 1.*] Nimirum vt vinum initiò bibentis ingenio obſequitur, dum ſenſim calorem diffundens ac corporis temperiem occupans bibentem iam mutet, moresq; eius fingat: ita qui ad Remp. ſe contulit, is donec gloria ſua fideq; & authoritate vim ſibi ad ducēdos populi ſubditorumque animos ſufficientem conciliet, interim ſe eorum, quos ſubiectos habet, moribus accommodare, & eoſdem occultis quibuſdā artibus mutare debet. [*Plut. de regend. Republ.*]

XXXI.

Vetera nouis ſemper præferenda.

In omni conſultatione vetera & vſitata nouis ac recentibus, quieta inquietis & multùm negotij habituris

ris præferenda ſunt. nam hoc modo certa incertis, tuta intutis prȩponuntur. [*Plato.*]

XXXII.

Non diu in coſdem bellandum.

Non eſt ijſdem hoſtibus ſæpius bellum inferendum, ne repugnare coacti, diuturna militia ipſi quoque belli artes addiſcant. [*Plut. in Lycurgo.*] Quod aliquando Ageſilao cætera prudentiſſimo regi, vitio datum eſſe legimus: quòd crebris & continentibus in Bæotiam impreſſionibus atque expeditionibus, Thebanos, æquales, penè etiam meliores bello Lacedæmonijs feciſſet. Idcircò Antalcidas cum eum vulneratum videret, Egregiam, inquit mercedem recipis à Thebanis, quos ignaros nolentesq; pugnare docuiſti & de Germanis Tacitus memorat, eos longâ aduerſum Romanos militiâ non vt anteà

anteà vagis incurſibus, aut diſiectas per cateruas pugnare, ſed ſequi ſigna, ſubſidijs firmari, dicta Imperatorum accipere ſolitos eſſe. De Belgis hodiè quid dicemus? niſi ex effœminatis & luxu diffluentibus omnium nationum bellicoſiſſimos continuata Hiſpanorum oppugnatione factos? adeò vt confirmare penè auſim vniuerſa Hiſpanorum potentiâ perdeleri illos non poſſe, niſi bello finito in luxuriam priſtinam, aut mutuas æmulationes factioneſq; ruant.

XXXIII.

Diſcordias inter hoſtes ſerere, magna eſt prudentiæ & vtilitatis.

Fortuna maius præſtare nihil poteſt Principi aut Reip quàm hoſtium diſcordiam, cuius auxilio etiam inuicta eorum potentia & manus facilè eneruatur: vt contrà *quamuis minima natio ab aduerſarijs perdeleri non poteſt,*

niſi

niſi proprijs factionibus & ſimultatibus ipſa ſeſe primùm fregerit [*Reges.*] Quod cùm ita ſit, diſcordiarum cauſſas ſerere, aut quoſdam ex ijs per corruptores emercari, in principe Sapientia dicenda eſt.

XXXVI.

Princeps factis quàm dictis maior habetur.

Generoſum & verè regium eſt, ipſare, quàm dictis magnificis populum demeri malle. vt enim facta admiramur, verba approbamus, ſic multò clariores charioresque euadunt, qui reabſe plura præſtiterunt, quàm verbis ſunt polliciti. & hinc fit, vt maiora ſemper de homine leni & modeſto, (quales plerique melancholici ſunt) tacitè nobis promittamus, quàm ijs qui loquaces ſunt & animo hilariore: hos enim illicò ſuſpicamur *loquentia, quàm ſapientiæ plus habere.*

XXXV.

Digitized by Google

XXXV.

Principes propoſiti tenaces ſunto.

Nullum maius indicium excelſi & conſtantis animi in Principe habemus, quàm fidei & propoſiti conſtantiam: nec enim facilè reperias virtutem, quæ maiorem vim habeat animos hominum conciliandi, comparandique autoritatem. Q. Fabius Maximus, cùm ſemel conſtituiſſet ferocem Annibalis exercitum mora comminuere, à propoſito abſterreri non potuit, etſi cunctator primùm, dein & patriæ proditor vocaretur. [*Florus*] Cum tandem, ſucceſſu rei conſiliū eius probante, Imperij ſcutum à populo vſurpatus fuit. Scipionis penè admirabilior conſtantia fuit, qui cum à debellato planè Antiocho pacis conditiones rogaretur, eaſdem quas antè pugnam obtulerat, præſcripſit: addito, Romanorum

animos

animos neque ſecundis rebus efferri, nec minui aduerſis. [*Liuius*] Cuius rei documentum haberet, quòd, priuſquam caſtra regia, priuſquam aciem vidiſſent, cùm communis Mars & incertus belli euentus eſſet, de pace hoſtibus agentibus, quos pares paribus tuliſſent, conditiones, eaſdem nunc victores victis ferrent.

XXXVI.

Bonæ malæve indolis notæ.

Nunquam præclarum & illuſtre ingeniū vulgaria via graſſatur, conſueto modo de rebus diſſerit, ſeſe falſo vendidat, turgidum loquitur, natat in ſermone, vel aliâs ſibi parum conſtat. Sed agile eſt, acre, igneum, appetens laborum, in ſingularium rerum meditatione occupatum, ardens omnia videre, cauſas exituſq́ne rerum perueſtigare, & in luce hominum verſari, deniq; honorum & diuitiarum

nitiarum & pōtentiæ per virtutem atque alias artes bonas appetentiſsimum. Cuiuſmodi pulcrè nobis in Themiſtocle Plutarchus depingit. Iam humilis & planè terreſtris animi certiſſima nota eſt, vel ſui æmulis, vel alterius opinionis aſſeclis inuidere, obtrectare famam nationū exterarum, ſuperiorum potentiam, dictaſactaq́; honeſta & inhoneſta collaudare, iuſta negligere, inſtantia & futura pari obliuione tranſmittere, breuiter claram obſcuramq́; famam eodem loci habere. quæ omnia contrà eſſe in excelſo animo ſuprà oſtendi. Qui, *vt ſydera contrarium mundo iter intendunt, ita ille, quo excellentior, hoc magis contrà opinionem & cōſuetudinem omnium agit vaditque.* [*Seneca.*]

XXXVII.

Beneficia quando facillimè impetrentur.

Hoc

Hoc omnium maximè mihi meminerint homines, non exſpectandum eſſe, vt rerum neceſſariarum copiam tunc p[illegible], quum ipſa neceſſitas hoc urg[illegible], ſed cum maximè rebus omnibus abundabunt, tunc antè inopiam, acceſſionis rationem aliquam inue[illegible] nam & facilius conſequent[illegible] à quibus petent, quum nequaquam egere videbuntur, & in tuto experiri poterunt. quorum amicitijs arduâ tempeſtate inniti queant. *Sic enim fieri inter homines conſueuit, vt quantum quiſque fortunâ vtatur, tantum & amare & negligere illum ſoleamus.*

XXXVIII.

Occaſio anima actionum humanarum.

Occaſio in aggrediendo conficiendoque negotio longè maximum momentum habet, vt non ſine cauſa veteres videātur eam diuinitate donaſſe.

naſſe. [*Plut.*] Hæc enim centum doctûm hominum conſilia, opes, potentiam ſola facilè deuincit. *in hanc excipiendam intenti paratiq; homines eſſe debent, ne præbenti ſeſe fortuna deſint, ſed oblatam caſu ad conſilium flectant, eaque prouidè & audacter vtantur. ne, ſi in occaſionis momēto, ci[illegible]ræteruolat opportunitas, cunct[illegible]n fuerint, necquicquā mox omiſſam querantur.* [*Liu.*] Philippus Macedo cum inuictam inſuperabilemque adunatam Græciæ potentiam videret, ad alias ſeſe arteis conuertens, libertati omnium velut è ſpecula quadā inſidiabatur. [*Plut.*] quippè enim dum in mutuum exitium imperandi cupidine ſine modo ruentes cerneret, occaſione vtendum ratus, contentiones ciuitatum alendo, auxiliumq́ue ferendo inferioribus, victos pariter victoresq́ue ſubire regiam ſeruitutem coëgit. Itidem Romani, cum diligentiſsimè omnes

mnes omnium rerum regnorumque occaſiones aucuparentur, *ſedendo* (vt quidam ait) *Imperium orbis ſuum fecêre.* [*Florus.* Breuiter, *nec conſilio aut celeritate, nec etiam virtute & quantâlibet potentiâ, tantæ res, quanta occaſionis opportunitate geruntur.*

XXXIX.

Rei alicuius exſecutio inuitis non demandanda.

Haud rectè exſequitur negotium homo, quod inuitus ſuſcipit, quodq́; in ipſa conſultatione voto ſuo non approbauit. Proinde improuidè agunt Principes & Reſpubl. qui ducibus aut ceteris miniſtris ſuis eiuſcemodi munia imponunt, ad quæ perficienda nulla neque voluntate, neque alacritate animi ducuntur. Hoc & Pauli Æmilij prælium cum Annibale, & multorum aliorum res geſtæ ſatis teſtantur.

XL.

XL.

Ægri & triſtis animi medela.

Magni viri ac Principes vbi re aliqua malè geſta in ægritudinem inciderunt, primum hoc remedium habent, vt ad Deum confugiant, & peccatis veniam precentur. [*Philippus Commineus.*] alterum, ut ex amicis, cui plurimum tribuunt, totos ſe patefaciant, & animi vulnus, quo affliguntur, denudent, nam ad reficiendum animi vires, nihil eſt efficacius. Huc etiam ſi labores & corporis exercitia & honeſtæ accedant occupationes, magnum ea res momentum adfert. Vt enim aliquo modo affectus illi conſumantur, oportet. Quòd ſi aliqui diuerſam rationem ingrediuntur, & in hac animi perturbatione ſeſe abdunt, nullius amicorum vel oratione vel conſilio leuati, eos graui mœrore & luctu conſumi neceſſe eſt.

XLI.

Factiones Subditorum periculoſæ Principi.

Factiones coniunctæ ſunt omnes cum periculo, inter nobiles præſertim, qui multum alioqui in eam partem incumbunt. [*Philippus Comineus lib. 10.*] Nec eſt quod quiſpiam fortaſsè dicat, illas partium offenſiones regibus non inutiles eſſe, patefieri hac ratione omnia conſilia, nihil eſſe, quod non efferatur ad regem, & in maiori ipſum eſſe obſeruantia & authoritate. Nam vt non negem, Principes adoleſcentes (ſi eiuſmodi ſimultates & contentiones in Gynecæo diſſeminent) maximam habituros ridendi oblectandique ſeſe materiam. (quippè nihil adeò ſecretum fuerit, quod non in hac muliercularum æmulatione & inuidia reſciſcant) Tamen conſuetudinem eiuſcemodi

cemodi in cœtu virorum recipi, ingens profectò periculum in eo verſatur. Hoc enim verè ſit ignem flammamquu ædibus tuis inijcere, quam deinde non poſſis, niſi maximo tuo detrimento reſtinguere. Nam qui Principem à ſe vident alienatum eſſe, ij ferè nouas incipiunt tentare amicitias, & illis libenter ſe coniungunt, quos diffidere arbitrantur ab eo, quem ſui aduerſarij partes tueri vident. Cuius rei vt nullum documentum exſtet amplius certè factiones illæ Aurelianæ & Burgundicæ familiæ (antè annos pene ducentos natæ) periculi magnitudinem & luctuoſos earum exitus demonſtrare nobis poſſunt, ex quibus bellum ortum, per ſeptuaginta annos durauit, cui permiſti Angli magnam Galliæ partem occuparunt.

XLII.

XLII.

Principes grauius plerunq; affligi, quàm ceteros mortalium.

Ita cum rebus humanis comparatum eſt, vt omnes pariter aliquo ſingulari dolore afficiantur. Quòd ſi Principes ac potentiores, qui in maxima rerum omnium copia vitam agitant, nullas acerbitates experirentur, eſſet profectò deſperatiſſima miſerorum hominum conditio, qui labore cottidiano, maximiſque ærumnis & calamitatibus vxorem, liberos, atque familiam alunt, & magiſtratui tributum pendunt, ipſi omnium delectationum prorſus immunes. Sed longè ſequius, quam vulgo homines arbitrantur, ſeſe res habet. nam ſic recenſere quis velit omnes Principes & reges maximos, qui in ſummis angoribus atque triſtitia vixerunt, non mediocrem ſit

conſcripturus librum, atque hì tamen quum rebus omnibus affluerent, ijs, quibus minus familiariter noti erant, omnium hominum beatiſſimi videbantur. [*Comminæus.*]

XLIII.

Suſpicionibus vnicè excruciari Principes.

Neque dici poteſt, quàm tenues ac infirmas plerunque mœroris ſui cauſas habeant, equidem magna ex parte ſuſpicionibus & calumnijs nituntur. atque hic eſt morbus occultus, qui in familijs principum regnat, & plurimis incommodis materiam ſubminiſtrat, in Gallia quidem adeò frequens, vt à Carolo Magno pauci Galliæ reges annum ætatis ſexageſimum attigerint, collectâ plerunque ægritudine ex ſuſpicionibus, & ijs quæ clanculum ac falsò eſſent delata. Ludouicus XI. paulò antè, quàm decede-

decederet, cum ſuſpicionibus nimium indulgeret, nulli prorſus homini fidebat, & omnes ſibi inſidiari putabat. Eius pater cum decumberet ægrotus, perſuaſum habebat, paratum ſibi eſſe venenum, ideoque omni cibo abſtinuit. Carolus ſextus eò deteriore conditione fuit, quòd delirare cepit, dum ijs, quæ deferebantur, nimium indulgeret.

XLIIII.

Quàm auidè delationes arripiant Principes.

Proinde prudenter facturos putarim, cum aliquid occultè ad eos defertur, ſi delatorem ſiſtant, & fidem ſibi fieri iubeant eius, quod eſt delatum. Hac enim ratione multò viuent tranquillius, quando nullus eò ſit progreſſus amentiæ, vt quod probare non poſſit, de eo ſit alicui calumniam facturus. Sed (prò dolor)

adeò ex ipſis quidam ſtolidi ſunt, vt etiam iureiurando promittant, ſe nihil enunciaturos: atq; interim angûtur in animis, & ab impuris ſæpè hominibus perſuaſi incipiunt illos odiſſe, quos pro ipſorum virtute ac meritis, amore & beniuolentia ſumma amplecti debebant.

XLV.

Partium ſtudia vitanda Principi.

Nunquam committet Princeps, vt magis vulgo quàm nobilitati, aut nobilitati potiùs quàm plebi fauere videatur. [*Ariſt. in Rhet. & Pol.*] Hoc enim facto alterius vtrius animos abalienabit, & qui anteà amborũ dominus fuerat, vnius tantũ obſequio vtetur, quod multis Angliæ & Hiſpaniæ regibus euenit, quorum quidam etiam de principatu deiecti ſunt, ſolum quia vel populo, vel nobilitati magis velle viderentur.

XLVI.

XLVI.

Multitudinis impetus excipiendus magis quàm reprimendus eſt.

Impetus concitatæ multitudinis, non illicò reprimendus eſt, ſed lentis quibuſdam remedijs, conſilio, mutatione, & rerum quarundã conceſſione declinandus, neque enim diuturna eſt poſſeſſio beniuolentiæ ſubditorum, in quam vi & gladio inducimur. Contrà autem quæ moderatione & liberalitate aut largitione earum rerum, quibus ſpoliare ſubditos minimè potes, paratur, ad perpetuitatem vſque efficax eſt & fidelis. [*Cic. 1. off.*] Igitur Senatus Rom. cùm neceſſitatem ſibi impoſitam videret, ſtipendia de publico ſoluendi militibus, occupandam occaſionem ratus, de plebe, vltrò potius, quàm à tribunis plebeis coacti, demerendi, de publico ſtipendia decreuerunt.

Quo facto, nihil vnquam acceptum tanto gaudio traditur. effectum fatentibus, vt nemo pro tam munificâ patria, donec quicquã virium ſupereſſet, corpori aut ſanguini ſuo parceret. nempè quod vltrò ſibi oblatum eſſet, non à tribunis plebis vnquam agitatum, non ſuis ſermonibus efflagitatum, id efficiebat multiplex gaudium, cumulatioremque gratiam rei. [*Liuius.*]

XLVII.

Homini iniuriâ affecto nihil committendum.

Diligenter prouidendum eſt, ne homini, qui aliqua grauiore iniuria affectus eſt, aut ſaltem affectum eſſe ſeſe exiſtumat, magni momenti res procuranda committatur. [*Ariſt. polit*] *Tanta enim cupiditas eſt in animis hominum vlciſcendi, vt in omnes temporum occaſiones excubent, eâque oblatâ,*

occulta-

occultatam diu iram effundant. Aſtyages rex Medorum infeſtus amico & familiari Harpago, in vltionem ſeruati Cyri, filium eius interfecit, epulandumq́; patri dedit. [*Iuſtinus lib 1.*] Harpages ad præſens tempus diſſimulato dolore, odium regis in vindictæ occaſionem diſtulit. interiecto demum tempore cùm adoleuiſſet Cyrus. dolore orbitatis admonitus, clàm cum eo coniurat, inque bellum hortatur. Aſtyages meriti in Harpago oblitus, ſummam belli eidem committit, qui acceptum exercitum ſtatim Cyro per deditionem tradidit, regis crudelitatem perfidia defectionis vltus. Simile exemplum Liuius lib. 27. refert, vbi tamen fortuna Romana à magna temeritate Coſſ. inconcuſſa ſtetit.

XLVIII.

Pompoſa oratio Principi inconueniens.

Pompoſę & ſeſquipedales orationes plurimum quidem omnibus hominibus, maximè verò Principibus de bona ſua fama & opinione detrahere ſolent. [*Plut.*] Quocircà omni ſtudio ſunt vitandæ. ferè enim fit, vt riſui ſe aliorum propinent, detegant ſtoliditatem ſuam, fidem omnium etiam benè dictorum penitùs amittant. Imitanda autem Africani Scipionis modeſtia, qui victor totius Hiſpaniæ, elato ab ingenti ſuarum virtutum fiducia animo ita loquebatur, vt nullum turgidum aut ferox verbum excideret, ingensq; omnibus, quæ ageret, cùm maieſtas ineſſet, tùm fides. [*Liuius.*]

XLIX.

Ἐχεμυθία *Principum.*

Principes arcanos, hoc eſt, qui continere ſecretum, quod in animo verſant, poſſunt, vehementer cenſeo

ſeo laudandos, neſcio enim quo modo mentes hominum in tales Principes conuertuntur, dum auidè ſemper, ueluti arrectis auribus exſpectant voces & iudicia tantorum virorum, quò ea tandem inclinatura ſint & conceſſura. Traianus & Antoninus Pius mira ὀλιγολογίᾳ fuêre, vnde ſermones eorum tantùm non pro oraculis ſunt excepti. [*Dio Caſſius.*]

L.

Omnia Principum patere.

Rerumpubl. gubernatoribus non modò de dictis factisúe publicis reddenda ratio eſt: ſed etiam in cœnam eorum inquiritur, & cubile & matrimonium, & quidquid ſerij ìociúe agunt. [*Plut, de rep.*] Hinc & vinum Cimonis Athenienſes, Scipionis ſomnum, quia aliud nihil inueniebant, Romani reprehendebant. de Pompeio quid dicam, cui inimici vi-

tio verterunt, quòd caput vno digito ſcaberet? ſcilicet vt in facie lens & verruca moleſtiores ſunt, quàm reliqua corporis vitia, vt mutilationes & cicatrices: ſic exigua peccata vbi in principis vita cernuntur, pro maximis habentur, propter eam, vt opinor, opinionem, quàm vulgò de principatu conceperunt, rem eam eſſe magnam & excelſam, quæque debeat omni errore atque vitio carere. Quod ſapienter intellexiſſe mihi videtur Liuius Druſus, cui cum domus multis locis perſpicua eſſet, ac faber quidam polliceretur, ſe eam impendio quinque talentorum mutaturum, quin, inquit ille, decem à me talenta aufer, eâ lege, vt totam domum meam reddas omnium inſpectui patentem, quo vniuerſi ciues cernant, qua vtar vitæ degendæ ratione. [*Plut. & Val. Max.*] *Habet enim hoc primum magna fortuna, quòd nihil tectum,*

tectum, nihil occultum eſſe patitur, Principum verò non modò domos, ſed cubicula ipſa intimosq́ſeceſſus recludit, omniaq́ arcana noſcenda famæ expeliat & proponit. [*Plin. in Panegyr.*]

LI.

Πολυπραγμοσύνη *inuidiam comitem habet.*

Quemadmodum olim Athenienſium nauis Salaminia & Paralus non cuiusuis negotij, ſed maximè neceſſariorum tantùm cauſa in mare deducebatur: [*Plutarchus.*] ita vir in Rep. atque aula magnus non omnes pariter res tractare debet, ſed eas demum, quæ ſingulati quapiam dexteritate opus habent. quæque & gloriam & rem ſimul conciliare alicui poſſint. aliam vitam qui ingrediuntur, & omnia ciuilia munera ſubeunt, hi reprehenſionibus multorum ſeſe exponunt, & cum benè rem ge-

runt, inuidia: cum malè, gaudio excipiuntur: denique quæ ab initio admirationi erat eorum induſtria, in ludibrium & riſum vertit. Quale eſt, Metiochus prætor eſt, Metiochus viarum procurator, Metiochus panes, Metiochus farinam diſtribuit, Metiochus omnibus præeſt, Metiochus habebit infortunium, atque hoc & Timeſiæ & Themiſtocli, & Africano Scipioni accidiſſe legimus. [*Plut. in polit.*] Ciuilis igitur viri officium eſt, vt alijs quoque res adminiſtrandas concedat, neque ſui vnius actionibus omnia adminiſtret. *Non ſolùm enim obnoxia minus eſt invidiæ ob magnitudinem potentia, quæ in multos diſtributa videtur, ſed & rectius negotia cõficiuntur.*

LII.

Faſtidium principis aut populi quomodo euitetur.

Cùm in omni rep. præclara facinora

nora & res egregiè geſtæ magnam plerunque inuidiam & graues calumnias conflare ſoleant, prouidè facturos dixerim, eos qui ob nimiam gloriam populo aut principi minus grati ſunt, ſi aut legatione aliqua aut peregrinatione ſuſcepta, æſtum illum animorum deflagrare ſinant, donec tempus eiuſcemodi interueniat, quod deſiderium illorum ſit excitaturum. Fecit hoc Scipio Africanus, multum temporis ruri degens, vt & invidię minueret onus, & reſpirandi facultatem concederet ijs, qui gloria ipſius premi videbantur. [*Plut. & Appianus.*] Themiſtocles cum idipſum parum curaret, tantam ſibi inuidiam apud populum concitauit, vt omni vrbe fuerit eiectus.

LIII.

Principes omnibus ſemper patere non debent.

Multum

Multùm detrahitur Principis authoritati, ſi ille omnibus obuius ſit omni tempore, præſertim cum vilia negotia tractantur. Proinde ex dignitate Principis fore arbitror, ſi non niſi magnis grauibusq; rebus & perſonis pateat, easq; ſingulari quâpiam grauitate admitti atq; audiri ſinat. [*Philipp. Cominæus.*]

LIIII.

Baſis regnorum.

Tria ſunt, quibus minimè carere principes poſſunt, Religio, Iuſtitia, Scientia militaris. [*Plato de LL.*] primùm ad perfectitudinem ſui, dein ad ſubditos in officio retinendum, poſtremò ad vim hoſtium reprimendam. Præ ceteris autem rebus omnibus induere opinionē hanc ſubditorum animis principes debent, vt pro religioſis, pijs & cultoribus numinis diuini habeantur. *Cum quæ à talibus iniuſti;*

iniuſti nihil ſperant homines, tùm quia haud facilè factio aut ſeditiones coaleſcunt aduerſum eos, quos charos eſſe, & protegi numine diuino credunt. [*Ariſtot. pol.*] atque huius quidem tanta vis eſt, vt etiam prauâ ſuperſtitione, multi ſe fuerint tutati.

L V.

Fabri fabrilia tractent.

Ii, qui inſatiabili gloriæ potentiæue ſtudio ea aggrediuntur, ad quæ neque à natura neque ab exercitatione ducuntur: [*v. s. de* πολυπραγμοσύνη] (vt cum Cleo ad ducendum exercitum, Philopæmen ad ducendam claſſem, Annibal ad concionandum ſe contulit) vbi quid eius peccatum eſt, excuſatione minimè merentur, ſed digni ſunt, quibus cum ludibrio illud occinatur.

Tractaſti qui faber non eſſes, fabrilia.

Sic multos hodiè videmus legationes obire

nes obire, nulla neque prudentia neque dicendi arte præditos: alios annonam procurare, ignauos & ſocordes: alios rurſum copias exercitum ducere, cùm anteà nihil minus quàm milites fuerint. Laudatur hoc nomine Pericles, qui ita potentiam ſuam cum Cimone diuiſit, vt ipſe vrbi præeſſet, Cimon claſſem in barbaros duceret erant enim hic ad bellum, ad ciuiles res ille naturâ aptiores. *Plutarch.*]

LVI.

Ars perſuadendi populo rem ſuſpectam.

Cùm multitudini ſuſpecta eſt actio aliqua magna & ſalutaris, non expedit vniuerſos magiſtratus tanquam ex compoſito ad vnam eandemque dicendam ſententiam venire, ſed optimum eſt, vt duo tréſue factâ diſceſſione placidè contrà amicum dicant, ac tandem veluti conuicti à

cti à ſua ſententia diſcedant. Sic enim vna in ſententiam propoſitam populus ab ijs perducitur, dum eos vtilitate exiſtumat moueri. [*Plutarch.*]

LVII.

Naturalis quorundam aſperitas.

Vt Echinus in ſpinis ingreditur, quia ſpinas circumfert ſecum: ita quorundam animis ad quæuis negotia tanta acerbitas ineſt, vt etiamſi res ipſa nihil incommodi habeat, ipſi tamen ſtolidam quandam circumferant aſperitatem. [*Nazianzenus.*]

LVIII.

Heroum filij noxa.

Reputanti perſæpè cum animo meo, in mentem mihi venit, aut nunquam, aut perrarò nimis bono principi non ferè deteriorem ſuccedere. ita neminem propè magnorum virorum filium generoſum aut ſapientem reliquiſſe ſatis claret. Pleriq; enim

enim aut ſine liberis naturę ſatisfecerunt, aut tales certè habuerunt, vt melius fuerit, eos ſine poſteritate cedere. Ecce ab infantia conditæ Romæ ordiamur, nil Romulus, nil Numa Pompilius liberorum reliquit, quod vtile poſſet Reip. eſſe. [*Lamprid.*] Quid Camillus, num ſui ſimiles habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam verò quid de Themiſtocle, Cyro, Alexandro Magno, quid de Homero, Demoſthene, Pericle, Vergilio, Platone, Ariſtotele aut M. Tullio loquar? Cui ſoli melius fuerat, liberos non habere. Iam vt Imperatorum doleamus vicem, Auguſtus ne adoptione quidem felix fuit, cum illi eligendi poteſtas ex omnibus eſſet. Traianus quoque in ſuo nepote fefellit. Quid Marco beatius, quid eximius Septimio Seuero? ſi non ille Commodum, hic Baſſianum filios ſuos hæredes reliquiſſent.

LIX.

Principes viuos laudare vanum.

Vana eſt omnis laudatio in viuentem adhuc effuſa, nec aſſentationis ſuſpicione caret: quippè à qua lucellum ſemper præſumitur ſperari. Magnificè igitur Peſcenninus Niger, cum ei quidam Panegyricum offerret, Quid? inquit, quin tu potius aut Annibalis, aut C. Marij, aut alterius boni Ducis vitâ functi res geſtas ſcribis, vt nos eum imitemur. [*Spartian.*] Nam *viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, & metuitur ſimul: qui præſtare poſſunt publicè & qui necare. Ego autem viuus placere volo, mortuus etiam laudari.* Hercules hæc virum notant & heroëm.

LX.

Satius eſt Principem, quàm Conſiliarios malos habere.

Fuēre, qui putarent, melius eam

Remp. habere, in qua ſub Principe malo, boni tamen Conſiliarij eſſent, quàm contrà, bonū Principem multis malis miniſtris regi. [*Lampridius.*] Propterea, quòd vnus aliquis malus à plurimis bonis corrigi poſſit, multi autem mali ab vno bono nulla ratione ſuperari. Et id quidem ipſi Traiano dictum eſt, cum ille affirmaſſet, Domitianum peſſimum fuiſſe, amicos autem habuiſſe bonos. atq; ideò minus in odio hominum fuiſſe, qui Rempubl. melioris vitæ hominibus commendaſſet. quum *melius eſſet vnum aliquem ſolum, quàm multos malos ſimul pati.*

LXI.

Rebus arduis conſilium ſubitum, optimum.

In omni re ardua præceptum hoc tenendum eſt, *vt rapiamus conſilia, non quæramus.* nec verbis aut ſenten-

tijs

tijs diu concertemus, vbi res perurgent, & occaſiones præcipiti prorſus caſu fluunt. *proximum quodque conſilium tutiſſimum eſt.*

LXII.

Victoria inſatiabilis & inquieta.

Ita fert natura, vt omnis victor inexſatiabili rerum ſecundarum deſiderio efferatur, neque finem vllum cupiditati ſtatuat [*Ariſtot. in Eth. & Rhet.*] Cuiuſmodi exemplum cùm omnes gentes, Macedones autem & Romanos maximè habemus, quorum tanta ſitis imperandi fuit, vt quo pluribus potiti ſunt, à ianto paucioribus ſibi potuerint temperare.

LXIII.

Præfecturarum crebra mutatio pernicioſa.

Tiberius Cæſar, non vulgaris prouidentiæ Princeps, raró curatores, præſi-

præſidesq; prouinciarum ab officijs remouebat, niſi quis in manifeſta aliqua offenſa deprehenſus eſſet. [*Ioſeph. Antiquit. lib.*] quòd putaret magis per hoc conſuli ſubiectis, quàm ſi crebras præfectorum mutationes vſurparet. Cùm enim in natura hoc habeant adminiſtrationes, vt homines feſtinabundos reddant in re quærenda, manifeſtum eſt, eò ſtudioſiores fore eos, quo exiguius ſpatium habent diuitias corradendi, qui ſi perſeueraturos ſe in adminiſtrationibus certò ſciſſent, ad furta vel rapinas tardiores fuiſſent adhæc, idem ſubditis ijs, quibus crebri ſunt præfecti, euenit, quod cuidam vulnerato, ad cuius ſaniem cum muſcæ plurimæ confluerent, easque viator quidam abigere conaretur, minimè verò inquit æger, gratum officium facis, hoſpes: iſtæ enim repletæ iam ſanguine non tantoperè mihi moleſtæ ſunt,

quàm

quàm ſi his amotis aliæ famelicæ mihi inſideant, quæ tam artè vulnus occupant, vt etſi interimantur, abigi tamen vix dum queant. Eodem modo ſubditis ſe conſulere per hoc dicebat Tiberius, *quòd non crebris ſubſtitutionibus magis magisq́ eos exſugendo fatigaret.*

LXIV.

Homines ſæpè in alijs reprehendunt, propter quæ laborant maximè.

Longè proclinius eſt, alios reprehendere, quàm ſibypſi moderari: facilimeq́ fit, vt quarum rerum causâ homines pœnâ dignos alios iudicant, has eaſdem ipſi admittant. vt argumento minimè debeat eſſe. eas res, propter quas alios accuſant homines, has ipſas ex animo odiſſe. Sic C. Licinius à Prætore poſtulauit, vt patri ſuo bonis, tanquam ea diſſipanti, interdiceretur: & qui-

& quidem quod petierat impetrauit. Sed ipſe pauco pòſt tempore, mortuo ſene, ampla ab eo relicta latifundia feſtinanter conſumſit. Dignus hac viciſſitudine pœnę, quoniam habentem abſumere, quam hæreditatem maluit tollere. [*Dio in Pomp.*]

LXV.

Magiſtratus munus.

Qui reip. præſunt, duo præcepta Platonis teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. alterum, vt totum corpus Reipubl. curent, ne cùm partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. *vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, geri debet.* [*Cic. lib. 1. Offic.*]

LXVI.

LXVI.

Fiſco non nimium ſtudendum à Principe.

Fiſcum Principis qui lieni comparabit, minimè fallet. [*Seneca.*] Sicut enim, creſcente in hominum corporibus liene, artus reliqui tabeſcunt: ita turgente fiſco & ærario Principis, cetera reip. membra marceſcunt, & grauiter incipiunt ægrotare.

LXVII.

Duellum belli Dux haud facilè admittat.

Magnum momentum ad totius belli euentum duellum habet, vel ad erigendos hoſtium animos, vel perterrefaciendos. nam & quum proſperè à tua parte pugnatum fuerit, omnia faciliora ad vniuerſam victoriam tibi cedent, & vbi victus erit tuorum quiſpiam, magnas ſpes, magnóſque ſpiritus aduerſario ſubmi-

niſtrabis. Certè vnica illa cum Gallo Torquati pugna tanti ad vniuerſi belli euentum momenti fuit, vt Gallorum exercitus relictis trepidè caſtris haud dubiam victoriam Romanis fecerit. [*Liuius.*] Quod cum ita ſit, prudens Dux nunquam in tale diſcrimen omnes fortunas ſuas committet, ſed totis viribus, vbi de ſalute libertateq; aut tota alicuius ditionis poſſeſſione agitur, contendet. aliâs enim non ſolùm victus temeritatem incuſabit, ſed nec victor omninò ſecurus erit. quippe enim *eius demum animus in perpetuum vincitur, cui confeſſio expreſſa eſt, ſe neq; arte, neq; caſu, ſed totis viribus comminùs collatis iuſto ac pie bello ſuperatum eſſe.* [*Veget. de re militari.*]

LXVIII.

Regias & illuſtres fœminas nimium extolli, intutum regno.

Quemadmodum Cæcias, certum venturæ

venturæ tempeſtatis indicium eſt: Ita certiſſima nota imminentium calamitatum in Regno & Republ. cùm aut matrem, aut ſororem, coniugem, aut cognatas Principis, opibus & auctoritate nimium creſcere, & regni adminiſtrationẽ inuadere videmus. Nam cum per ſe *ſexus muliebris inſolens & ſuperbus ſit, vbi licentia acceſſit, totus in auaritiam & ſæuam crudelitatem effunditur.* [*Tacitus 3. Annal.*] Inde optimum & nobiliſſimum quenque, aſtu & dolo, aut falſis criminationibus apud regem, aut denique ſimultatibus inter eos ſecretò excitatis de medio tollunt, quo maiore licentiâ graſſari in ſubditorũ & principis ipſius fortunas poſſint. Huius rei cũ in Hiſtoricis, tùm verò in noſtrâ memoriâ documenta reperire licet. [*Tacitus lib. 12. Annal.*]

LXIX.

Principes deſignatos prædeceſſore adhuc viuente, modeſtia decet.

Principibus ijs, qui deſtinati tantùm ſunt principatus ſucceſſioni, viuente prædeceſſore, maximè eſt cauendum, ne æquales ſe nimis illi faciant, eodemq; cum eo gradu, loco, tempore, applauſu & obſequio publicè priuatimque coli & obſeruari ſe patiantur, ſed honore temperato, comitatu mediocri, & modeſta grauitate ſint contenti. *Cum primis verò ſpes ſuas occultè in ſinu foueant, ne incautâ & immaturâ iactatione aliquid ad regnum obtinendũ moliri videantur.* Summum enim, hac ratione, prædeceſſoris adhuc regnantis odium in ſe concitant, & in locum futuri regiminis certam ſibi perniciẽ parant. Quemadmodum videre eſt in filijs Germanici, qui incautà Imperij vſurpatione ſeſe euerterunt [*Tacit. lib. 4. Annal.*]

LXX.

Magnæ ciuitates externis bellis ſemper occupandæ.

Omnium ætatum exemplis compertum eſt, magnas ciuitates quieſcere nunquam poſſe: ſed ſi hoſtem foris nullum habeant, domi apud ſeſe quærere & inuenire. Quare prudens vir in Rep. omnia ſua conſilia eò dirigere debet, vt ſemper nouas bellorum cauſas cum exteris nationibus diſſeminet, ne cives foris ſecuri, domi ex nimio otio in luxuriam, ſuperbiam, & ambitionem ruendo, ſimultatibus primùm, dein factionibus, poſtremò magnis & pernicioſis tumultibus Rempub. perturbent: quod olim pulſo Xerxe Græcis, Carthagine deleta Romanis, accidiſſe ſcimus Quare laudanda omninò P. Naſicæ prudentia eſt, [*Valer. Maximus*] qui vehementer contrà Cato-

nis aliorumque Senatorum opiniones contendit, Carthaginem non delendam eſſe, ne eâ veluti æmula & excitatrice Iuuentutis Rom. ſublatâ, Ciues nimiâ quiete in luxum & deſidiam reſoluti, in propria velut viſcera patriæ nefarias manus ſtringerent & armarent. quod paucis pòſt annis euenit. Cùm Catilina, dein Sulla & Marius, tandem Cæſar & Pomp. floréntiſſimum Imp. Pop. Rom. miſerrimis modis dilacerarunt.

LXXI,

Praualida Imperia haud diuturna.

Quemadmodum in corporibus hominum ſatius eſt modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quàm ad molem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus peruenire, nec, cùm perueneris, quieſcere, ſed quantò grauioribus membris, tantò maioribus agitari malis. [*Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 3. c. 10.*

lib. 3. c. 10.] Sic Imperium paruum & quietum, quamuis magno & inquieto præſtare, dico. in quo fieri vix poteſt, vt aut bonæ leges vim & auctoritatem ſuam retineant, aut ſeditiones magnæ & graues ſubindè non oriantur. quæ & tyrannidis, & interitus, aliarumque mutationum cauſas præbent.

LXXII.

Media regni à Principe tenenda eſſe.

Reges & principes cenſeo cùm belli tempeſtate, tùm in pace, media regni præcipuè tenere & cuſtodire debere, ex quibus in omnes ditiones & prouincias ſuas regimen habeant, & ad quamuis fortunam tuendam prompti paratique ſint. Sic & Medorum rex primus in medio regno Imperij ſedem fixit, [*Herodotus lib. 1.*] & Roamni in vmbilico Italiæ vrbem condiderunt. Quod indicaſſe quoq;

dici poteſt, *tanti omnem exeritum eſſe, quanti Imperatorem.* [*Liuius*] quippe cum exercitus vniuerſus quaſi quoddam animal ſit (cuius caput Imperator: ordinata acies pectus ac thorax: pedites manus: equites autem pedes exiſtunt) & capite concuſſo perturbatoque membra reliqua languere fluereque ſolent. Ita fathiſcente præ imperitia aut alio aliquo vitio Imperatore, ceterum quoque exercitum fluctuare, ac in præceps agi neceſſe eſt vt haud abſurdè, mortuo Alexandro Magno, eius exercitum Leoſthenes quidam Cyclopi comparauerit, qui amiſſo oculo omnium incertus hinc inde vagabatur: ita etiam Alexandri exercitum, eo amiſſo, incertis motibus agitari, innuens: [*Plut. in apophth*] & verò, ſicut [illegible]nimâ exhalatâ, cadauera non [illegible]ubſiſtunt, ſed diſſoluuntur ac [illegible] ſcunt: ita Macedonum [illegible]

ſpoliatæ concutiebantur & æſtuabant. Quæ cum ita ſint, danda hoc magis opera eſt, vt aut ſuperiorem præſtantioremque, aut certè non inferiorem peritia bellica, hoſtium duci opponamus. [*Veget. de re militari.*]

LXXIIII.

Ingenio quàm manu hoſtes vincere glorioſius.

Vt multa maiora ſunt animi opera, quàm corporis: ita duces ij qui ingenio & calliditate hoſtes vincunt, meo iudicio longè maiorem laudem apud prudentes merentur. tùm quia frequentiores ſunt, qui multitudine aut viribus freti res magnas gerunt: quàm qui conſilio & prudentiâ militari: tùm verò maximè, quòd hoc modo, ſine maiori periculo, ſæpè etiam ſine ſanguine quamuis ingentes hoſtium copiæ debellantur. atque hoc quidem & Lacedæmonij quodammodo

dammodo ſignificaſſe videntur: qui quoties cruento prælio, magnaque ſeu ſua ſeu hoſtium clade viciſſent, gallum: ſin verò induſtria aut calliditate ſuperiores extitiſſent, bouem Marti Deo immolabant. [*Plut.*]

LXXV.

Captis non facilè deſiſtendum.

Multa magnis viris, ſicut non aggrediunda, ita ſemel aggreſſa non facile dimittenda ſunt. [*Liuius*] Siquidem magna famæ momenta in vtramque partem fieri neceſſe eſt. Cùm aut fugere creditur aut deſperare, qui deſerit incæpta, aut certè temerè & imprudenter rem inchoaſſe. Carolus Burgundus, Dux cætera longè acerrimus, hoc tamen nomine carpitur, quòd, cùm multis negotijs domi occupatus eſſet, vno eodemque tempore maximas res agitans, inter alia Noueſium Imperij oppidum obſedit. Quod

cum expugnare non poſſet, infectâ re diſcedere coactus tantam & tàm inſignem gloriæ antepartæ iacturam fecit, vt ab omnibus ſimul ſocijs & confœderatis fuerit deſtitutus.

LXXVI.

Vtilitatis in omni re maximus eſt aſpectus.

Pauci ita ingenio valent, vt non turpe & honeſtum, prout illis commodum aut incommodum eſt, expetant fugiantúe. Quare multum in rebus politicis & ciuilibus ſtatuendis arbitrandisue poteſt tùm publica, tùm priuata vtilitas, maximè in populari ciuitatis ſtatu. *Videndum tamen omninò eſt, ne vtilitas vincat veram honeſtatem.*

LXXVII.

Quantum interſit, quid de vno quoq́; homines ſentiant.

Vt in aliqua haſta telóue multum refert,

refert;à cuius excuſſa manu veniant: ſic in conſilio aut adhortatione vt pedem figat, valdè facit ſpectatæ alicuius probitatis & prudentiæ pondus. Spartæ cùm Demoſthenes quidam homo intemperans ſententiam commodam dixiſſet, eam populus reiecit. Ephori autem ſorte lecto cuidam ſenum eam dicendam dederunt, tanquam ex ſordido vaſe in ſincerum eam diffundentes, vt acceptior multitudini fieret, quod magno cum applauſu euènit. Tantum in vtramque partem in rep. momenti habet, perſuaſio de ingenio deque vita hominis concepta [*Plut. & Valer. Max.*]

LXXVIII.

Quid & quatenus populo concedendum.

Ad rem ciuilem mirè præceptum hoc congruit, vt quæ leuia neq; magni ad-

gni admodum momenti ſint, earum conceſſione vulgò gratificetur: in rebus autem magnis omni vi animi ſe illi opponat [*Plut. de admin. Rep.*] Qui enim omnibus in rebus nimium eſt accuratus & vehemens, nihilq́; concedit aut diſſimulat. is dum ſe vbique aſperum & implacabilem gerit, multitudinem ad certamen contentionis ac moroſitatis aſſuefacit. Itaq́; interdum debet aliquantulum remittere clauum ob magnam fluctus vim, nonnunquàm ipſe ſocium hilaritatis præbere, vt in certaminibus & ſpectaculis, nunc (vt in puerorum peccatis patresfamiliâs) ſimulare, non obſeruare ſe, quæ delinquuntur, & talia alia, vt facultas caſtigandi tanquam medicamentum, non vſu iam debilitata & inefficax: ſed viribus ſuis atq́; auctoritate prædita in maioribus negotijs multitudinem magis mordeat atque percellat.

LXXIX.

LXXIX.

Populum calamitate perculſum, munere aliquo conſolandum eſſe.

Sicut medicus vbi multum corrupti ſanguinis ſubduxit, modicum innoxij alimenti ſuggerit: ſic vir ciuilis magnâ aliquâ re, quæ ad dedecus aut damnum ſpectabat ſublatâ, viciſſim aliquo munere animos ciuium à reprehenſionibus & quiritationibus auertit. Cato in Catilinaria actione videns populum à Cæſare conturbatum, ac ciuitatem in diſcrimen nouarum rerum adductam, Senatui perſuaſit, vt in pauperes largitionem decerneret. eaq; munificentia tumultum ſedauit, ac inhibuit ſeditionem.

LXXX.

Ambitio & inuidia in Belli Ducibus pernicioſiſſima.

Recenſet Froſſardus, quendam belli

belli ducem Anglum, in ſua memoria virum & animo & conſilio præſtantem, multùm præterea in ſuis rationibus fortunatum, voluiſſe quodam die, nactum occaſionem pulcerrimam, ferire hoſtem, quôq; negotium melius conficeret, oraſſe comitem quendam Anglum, vt certo numero Equitũ ſibi ferret ſuppetias. Quod cum ille haberet in animo, commonefactum à ſuis, ne omninò ſuccurreret, quòd ille, ſi res feliciter caderet, omnem rei geſtæ laudem ſolus eſſet habiturus: ageret negotium ipſe ſuum, & aliquid moliretur, vnde ſolidam gloriam obtinere poſſet. Hac ratione impeditum illum, quod maximè optabat, perficere nequiuiſſe. *Nimirum vbiq; dominatur inuidia & ambitio, in bellis autem maximè: ac ſæpenumerò fit, vt, dum alter in alterius gratiam nihil vult ſuſcipere moleſtiæ, omittantur præclariſſima rerum gerendarum*

rendarum rationes: & aduerſarij hoc ipſum deinde in vſum ſuum conuertunt. atque hoc magis accidit, vbi inimicitiæ inter illos exiſtunt quia conſimili Imperio vbi concordia non ineſt, maior aliena opera interpellandi, quàm ſua edendi cupiditas naſcitur: vbi verò pertinax intercedit odium, alter alteri, quã vterq; contrarijs caſtris certior hoſtis ꝑficiſcitur. [*Val.*]

LXXXI.

Nihil vnquam concors aut diu validum eſſe, quod non ex vnius voluntate, ſed multorum arbitrio pendeat.

Difficilimum eſt, vt qui æquali ſint potentiâ Principes in belli ſocietate, diuturnam amicitiam colant: niſi maiori alicuius auctoritate cohibeantur. *Commin. lib. 1. & 2. Liuius lib. 5. dec. 1.*] eius rei multa in omnibus hiſtorijs documenta cognoui.

Sic

Sic enim eſt inter homines comparatum, vt facilè ſuſcipiant inimicitias, neq; reſpiciant ad eum, qui ferè comitari ſolet, triſtem & luctuoſum excitum. Mea ſic eſt ſententia, vt exiſtumem, eum qui ſolus in poteſtate habeat decem hominum millia, magis eſſe metuendum, quàm decem confœderatos, qui ſinguli ſenis millibus præſint. Nam quia nullius hìc eſt pręcipua vel ſingularis authoritas, multa cottidiè in diſceptationem incidunt, & antequam aliquid conſtituatur, prætereunt ferè occaſiones.

LXXXII.

Luxuriæ veſtium conuiuiorum ægræ ciuitatis indicia.

Cùm plurimùm Reip. interſit, vt homines rebus ſuis benè moderatéque vtantur, [*Plato. 3. de Legibus.*] leges Catocibariæ & ſumptuariæ præclarè hodiè inſtitutę in regno Caſtellæ

ſtellæ Neapolitano, in Venetorum ac Genuenſium vt & Noribergenſium Rep. viſuntur. *Nec enim vllum magis certum aut minus fallax agræ ciuitatis & mox ruituræ indicium ſolet eſſe, quàm veſtium, quàm conuiuiorum luxuria,* niſi tempori gula ei præcidatur. [*Seneca Ep. 115.*] Quippè vbi eam ſemel felicitas infudit, non in corporum cultu præſtare luxus diu poteſt. Sed ſupellectili primùm laboratur, deindè in ipſas domos impenditur cura, vt in laxitatem ruris excurrant, vt parietes aduectis trans maria marmoribus fulgeant, vt tecta varientur auro, vt lacunaribus pauimentorum reſpondeat nitor: deindè ad lautitia transfertur, & illinc commendatio ex nouitate, & ſoliti ordinis commutatione captatur, vt ea, quæ cludere cœnam ſolent, prima ponantur, & quæ aduenientibus dabantur, exeuntibus dentur. Cùm aſſueuit ani-

mus faſtidire, quæ ex more ſunt, & illi pro ſordidis ſolita ſunt, ad extrema & pretioſiſſima quæq; peruenitur. donec in medullas neruoſque tranſgreſſis delitijs, nimia voluptatum mole oppreſſa Reſpublica ruat. *Impoſſibile enim eſt, cùm homines ſua prodigè conſumsêre, vt non res nouas & Reip. mutationem, aut ipſi tyrannidi inſidiando, aut alios ad ipſam vocando, quærant,* [*Ariſt. lib. 5. pol. cap. 6.*] Cuiuſmodi exempla in Catilina, in Iul. Cæſare: noſtrâ memoriâ in pleriſq; Italiæ ciuitatibus habemus.

LXXXIII.

Nullâ re efficacius multitudinem regi, quàm religionis aut ſuperſtitionis Zelo.

Qui res nouas, magnas, atque arduas aggrediuntur, nulla neque ope neque conſilio efficacius adiungere & deuincire multitūdinis animos ſibi poſ

bi poſſunt. quàm religionis velo. quæ tàm valida eſt, vt quantumuis impotentem, ſæuam, mutabilem vulgi turbam ad quoduis facinus paruo momento perpellat. Quod adeò quidem verum eſt, vt etiam Ethnici res maximas huius ope patrarint. vt Pompilius Numa, qui omnia monitu Deæ Egeriæ agere ſe ſimulans, ferocem victorijs pop Rom. eò redegit, vt, quod vi & iniuria occupaverat Imperium, religione atque iuſtitia per quadraginta plus minus annos gubernârit [*Lucius Annæus.*] Sic & Sertorius, qui ceruam circumducebat: C Marius, qui Syram quandam fatidicam, cui Martha nomen fuit, præclarè multa geſsere. Syrus quidam nomine Eunus fanatico furore ſimulato, dum Syriæ Deæ comas iactabat, ad libertatem & arma ſeruos quaſi numinum imperio concitauit ita quidem, vt ſexaginta amplius

plius millium exercitum vno velut impetu fecerit. atq; vt diuinitùs fieri hoc probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipauerat, leniter inſpirans, flammam inter verba fundebat. *adeò in omni re nihil fallacius eſt, quàm praua religio, cùm, vbi ſceleribus numen Deorum prætenditur, animum timor ſubit, ne fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris aliquid immiſtum violemus.* [*Liuius Dec. 4. lib. 9.*]

LXXXIV.

Subditorum tumultus quomodo reſtinguendus.

In comprimendis factionibus aut ſeditionibus ſubditorum, danda inprimis opera eſt, vt capita, hoc eſt, Principes turbæ aliquo dolo è medio tollas. quibus amotis, protinus vires multitudinis elangueſcent, & ſi quid tamen conabuntur, incipient magis, quàm patrabunt. *vt enim mare, quod*

ſuâ

ſuâ naturâ tranquillum eſt, ventorum vi agitatur: ſic populus ſuâ ſponte placatus, hominum ſeditioſorum vocibus vt violentiſſimis tempeſtatibus attollitur, quibus oppreſſis ipſum vulgus pauidum & ſecors redditur. [*Cic. pro Cluent.*] Hoc modo Tarquinius Superbus Roman. Rex Gabios obtinuit, qui conſulenti per nuncios filio quid fieri occupatà vrbe oporteret, eminentia fortè papauerum capita virgula decuſſit, quum per hoc interficiendos eſſe Principes intelligi vellet.[*Lucius Anneus.*

LXXXV.

Potentiam quærentes quibus & qualibus hominibus vti ſoleant.

Potentiam qui ambiunt, maxumè in id incumbere ſolent, vt in ſocietatem non locupletes aut optimates Reip. ſibi aſciſcant, qui aſſueti vitæ vmbraticæ & ceteris corporis voluptatibus,

ptatibus, magnum patrare facinus non audent, ſed conſeruare ſua quoquo modo, quàm aliena appetere præoptant. Egentiſſimus quiſque & quantum maximè audaciâ præpollens ac promptus opportuniſſimus hic ſolet eſſe. quippè cui neq; ſua curæ, qnæ nulla ſunt, & omnia cum pretio honeſta videntur. adhæc non tàm præmijs periculorũ, quàm ipſis periculis læsi, pro certis & olim partis, noua ambigua & ancipitia malunt. Sic C. Marius homo nouus: vt plebis animos arctiſſimè ſibi obſtringeret, non more maiorem nec ex claſſibus, ſed vt cuiuſq; lubido erat, capite cenſos pleroſq; milites ſcribebat. [*Plutarchus in Mario*] Quomodo & ipſe Iul. Cæſar ad Imperium ſeſe extulit. vt ex rebus ipſius geſtis videre licet. *Semper enim in ciuitate, quibus opes nullæ ſunt, noua expetunt, vetera odêre: odióque ſuarum rerum mutari omnia*

mnia ſtudent. [*Salluſt. in Iugurth.*]

LXXXVI.

Periculoſa omni Reipub. libertatis aſſertio.

Communiter hoc pleriſque omnibus populis & ciuitatibus euenit, vt, dum libertatem & vitæ laxioris campos per ſeditionem & factiones quærunt, multò grauiori ſeruitute oppreſſi in artiſsimos libartatis gyros redigantur. Amiſſis enim ac per vim eiectis optimis ciuibus, tandem in poteſtatem deterrimi cuiuſque redeunt. Et ſuis vti legibus dum obſtinatè laborant, in multa acerba & legibus contraria eos incidere cõtingit. [*Iſocrates in Archid.*]

LXXXVII.

Falſis & ſpecioſis magis quàm veris, hominum vulgus capitur.

Si qui ſunt, qui multitudinem ſibi conciliare & ad ſuas partes pertrahe-

re volent, ij non vera, aut reabſe vtilia, ſed fabuloſiſſima quæque, dum ea modò ſpecioſa & magnifica in vulgus ſint, proponere & prætexere debent. Nam his talibus maximè vulgus gaudet & adſtrepit, vbi autem veras cauſas ſpectat, ſuſpenditur & incertus hæret. [*Iſocrates Nicomach.*]

LXXXVIII.

Hominis ſeditioſi & pernicioſi in Repub. nota.

Si quos in aula vel cętera ditione ſua Princeps reperit, qui occultas querelas, ambiguos de ſeſe ſermones, & talia alia turbamenta imperiti vulgi ſpargunt, & auribus inſerunt hominibus factioſis, maturè hos amouere è medio vel vi & per ſupplicium manifeſtarium, in exemplum cęteris debet, aut per legationem ſeu ſpeciem honoris aliò amandare. Verè enim

iè enim hi ſunt, *qui priuatim degeneres & ignaui, in publicum & principem exitioſi, nihil ſpei niſi per ſeditiones habent.* [*Tacit. 12 Annal. & in III. Hiſtor.*]

LXXXIX.

Neutralitas periculoſiſſima.

Vehementer fallunt, mea quidem ſententia. qui, finitimis duobus pluribusúe graui bello implicitis, medios gerere ſe, & ab vtrorumque ſocietate abſtinere conantur. Cùm enim ea belli natura ſit, vt hoſtem communiter iudicet eum, qui ſuppetias ſibi non ferat, neceſſe prorſus eſt, vt aut diuturnitate belli velut granum inter duros molares ipſé quoque atteratur, aut certè ab alterutro victore ſine vllo gratiæ aut dignitatis aſpectu tandem opprimatur. Sic enim in omnibus Hiſtorijs inuenimus, eos quos præpoſtera ignauia aut praua calliditas, vt in aliorum periculis tuti

eſſent, abſtinuit, acerbiſſimas tandem pœnas ſoluiſſe. [*Salluſt. ep. Mithrid.*] Meſſenij, quum duabus potentiſſimis ciuitatibus Græciæ finitimi eſſent, Arcadibus, atque Lacedæmonijs bello inter eos orto, neutris ſeſe vel hoſtes vel ſocios oſtendebant: quamuis Lacedæmonijs ſemper ſantè id bellum inimici, Arcadibus fœdere atq; amicitia iuncti fuiſſent. Itaque quum dictæ ciuitates vel inter ſeſe vel cum alijs bellarent, Meſſenij quieta pace fruebantur. [*Polyb. lib. 4.*] idq; tàm diu, donec Lacedæmonij pace cum cæteris facta, omnem belli impetum in Meſſenios conuerterunt. Tum demum cum neque ipſi reſiſtere per ſe potentiæ illorum neque Arcadum auxilio amplius ſeſe tueri poſſent: in triſtiſſimam ſeruitutem cum coniugibus liberisque è patria ab hoſtibus eiecti, grande documentum poſteris dedêre, quan-

re, quantâ prudentiâ anne potentiâ dicam, eum oporteat eſſe, qui in tali fortuna ſine clade & detrimento tueri & conſeruare ſeſe velit. Prudenter proinde & laudabiliter facturum arbitror, ſi Princeps potentia eminentiore præditus in ſubito aliquo finitimorum motu aut alterutri ſe parti illicò adiungat, & quidem potentiori (ſi ipſe imbecillis ſit) infirmiori verò (ſi ipſe pollens potensque rebus abundet) Aut quod Romanos olim, hodiè Venetos videmus facere, neutrarum partium ipſe, hoſtium amborum oppida, caſtella, munitiones inuadat, occupet, & præſidijs confirmet Quo quidem remedio non laudem modò & exiſtumationem ſibi ingentem comparabit, ſed cum regni ſui tuitione aut ad deponenda arma hoſtes adiget, aut breui certè dignoſcere poterit, cui parti potius adhærendum ſiet.

XC.

Cauſa & ratio præcepti præcedentis.

Atque huius mei conſilij ea potiſſimùm ratio eſt, quòd, quemadmodum illi qui ex contagione inficiuntur, antequàm malum prorumpat, grauiſſimè primò in medullis atque præcordijs laborant: ita mediæ regiones, etſi apertum bellum non ſuſcipiant: ſentiant tamen enixè in viſceribus vtraſque vicinorum factiones, eamque ob cauſam ſæpè intra ſe domi & conſilio confligentur, & re ipſa paulatim lento velut igne conſumantur.

XCI.

Plerisque magnis Imperijs ex ſeſe interitus.

Veluti Aquilæ pennæ primò adiacentes, poſteà proprias plumas atterunt & abſumunt: ita magna per ſæpè Imperia

Imperia ſubiugatis variarum gentium & nationum regnis, etſi anteà & domeſticis & externis bellis ſteterunt, à proprijs membris nullo impellente nonnunquam euerſionis calamitatiſq; venenum hausère, vt Alexandri Magni regnum pòſt eius mortem à proprijs ducibus diſruptum diſſipatumque eſt: & Romanorum Imperium cùm eò vſque creuiſſet, vt magnitudine laboraret ſua, atq; adeò iam maius eſſet, quàm vt vllis externis quantumuis terrarum orbis viribus extingui poſſe videretur, ipſum ſeſe in exitium ſuum, Cæſare & Pompeio Ducibus, armauit & afflixit.

XCII.

Exteri ſemper ſubiecti Inuidiæ.

Valdè hoc obſeruandum magnis viris præſertim militaribus, vt pòſt res præclarè prudenterque in aliena

aula & militia à ſe geſtas, ſtatim (ne ſint liuoribus aut perculis intraneorum expoſiti) diſcedant. Sicut Xantippum legimus, reſtitutis Carthaginienſium rebus, paulò pòſt in patriam rediiſſe, ſapienti certè conſilio. [*Polyb. lib. 1.*] Nam res egregiè geſtæ & præclara facinora inuidiam & calumnias gignere ſolent: quas ciues quidem aut indigenæ, amicorum & affinium copia atq; opera facilè poſſunt elidere: exteri verò ſtatim ab vtroque iſto vincuntur, & periclitantur.

XCIII.

Bello quomodo vir magnanimus vtatur.

Magnanimi & modeſti quidem Principis eſt ab armis quieſcere, niſi iniuria laceſſatur. Fortis autem, ſi iniuria afficiatur, pacem cum bello commutare, [*Thucyd. lib. 1.*] & ſi Dei ſuo-

ſuorumque virtute rem proſperè feliciterq; geſſerit, depoſitis armis & pace factâ in gratiam cum deuictis denuò redire. Atque hoc modo, nec felici bellorum ſucceſſu quenquam extolli æquum eſt, nec pacis atque otij dulcedine captum iniurias aduerſariorum perferre ac pati. Qui enim propter voluptatem, quam ex pacis otio percipit, à bello abhorret, is ſi quieſcat, & ab armis abſtineat, celerrimè priuabitur hac tranquillitatis otijq; iucunditate, propter quam deſidiæ atq; inertiæ indulgens, vim & iniuriam ſibi factam armis vindicare non audet. Cæterùm *qui felici & prolixo rerum ſucceſſu inſoleſcit, is haud animaduertit, quàm infidâ atq; infelici audaciâ efferatur. Cùm incerti ſint exitus omnium bellorum, Marsq; communis, qui ſæpè ſpoliantem iam & exſultantem ab abiecto perculit & euertit.* [*Liuius.*]

XCIV.

Omnium conſiliorum incerti exitus.

Nemo prudens nimiam fiduciam in cæpto conſilio collocat, quaſi illud ad collimatum ſcopum certò ſit peruenturum. *Omnium namq; rerum, vt dictum eſt, incerti ſunt exitus, & multa malè conſulta, quum aduerſarios inconſultiores nacta ſunt, felicem euentum habuerunt, & longè plura, quæ rectè prudenterq; conſulta & ſuſcepta videbantur, turpiter contrà ceciderunt.* [*Thucyd. lib.* 1.]

XCV.

Bellum nunquam eodem animi impetu geritur, quo ſuſcipitur.

Nemo omnium eodem animi impetu cùm bellum, tùm ceteras quoq; res gerendas exſequitur, quo in ipſa conſultatione ſine metu cum fiducia quadam deliberat. ſed cum ſecuritate quidem audacter de rebus futtis

omnes

omnes decernimus, vbi ad rem & periculum ventum eſt, animus metu deficit. [*Thucyd. lib. 1.*]

XCVII.

Mutuus metus ſocietatis inter Principes duramentum.

Nulla vnquam res [*Thucyd. lib. 3.*] principum aut ciuitatum ſocietates firmiores aut fideles magis reddit, quã mutui metus æqualitas. Quum, qui violare ſocietatem, & præter ius ac fidem machinari aliquid iniuſtum vult, is tamen, quia viribus ceteros non antecellit, rumpere fœdus & ab inuadendo altero aut ſaltem deſerendo deterretur. Cuiuſmodi *ſocietas lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo continetur. Seneca Ep.*]

XCVII.

Iniuria quàm vis grauior hominibus.

Omnes homines, principes autem maximè cùm iniurâ afficiuntur, magis indignantur, quàm quum vim patiuntur. [*Thucyd. lib. 3.*] Nam quod ab eo proficiſcitur, qui eſt pari conditione, id aut præ contemtu, aut ab animi elatione, & propter pluris habendi cupidinem contrà Iuris æquabilitatem fieri videtur. Quod à potentiori fit, hoc ab ineuitabili neceſſitate proficiſci videtur. Quippè *perpetuo naturæ Iure conſtitutum ac comparatum ita eſſe homines putant, vt imbecillior à potentiore vim & regimen patiatur: ab æquali ne minimum quidem horum perferant, aut inultũ abire ſinant.*

XCVIII.

Cur fratrum, amicorûmque odia ſint acerbiſſima.

Vſu & experimentis didici, fratrum iras & contentiones, ſi quæ naſcantur, omnium acerrimas & acerbiſſimas eſſe. [*Ariſtot. Ethic. lib. 3.*] & quò ſeſe magis antè ſimultates mutuò amauerint, bis tantò magis magiſque odiſſe inuicem ſolere. Cauſa eſſe videtur, quòd à quibus deberi ſibi beneficium exiſtument homines, ab eiſdem non ſolum priuari benificio, ſed lædi inſuper contrà naturæ Ius atque æquitatem ſeſe putent. Quod quia contrà omnem ſpem hominibus nonnunquam euenit, (*improuiſa autem magis in animos hominum deſcendunt, quàm exſpectata*) fit, vt longè ægrius ferant, ſi quam iniuriam ab amicis contrà opinionem ſuam acceperunt.

XCIX.

Amicitiæ quæ maximè durabiles.

Eos nobis amicos comparare ſtudeamus,

deamus, quibus non diue: ſi aut diſſimiles mores,& quibus eadem, quæ etiam nobis conducant: & quibus magnis in rebus communis nobiſcum fortuna ſit tales enim amicitiæ diutiſſimè ſemper perdurant. [*Ariſt. lib. 5. pol*]

C.

Societates quæ maximè vtiles.

Eorum ſocietates præ cęteris nobis conciliandæ ſunt, qui & iuſtiſſimi ſint, & non mediocri potentiâ valeant: inprimis autem in proximo habitent: [*Thucyd*] ne ſi cum vigilanti & ſobrio hoſte nobis res ſit, eius celeritate antè opprimamur, quã ſociorum auxilijs adiuuemur. Prorſus autem in animum tuum demitte, *In caducum parietem non inclinandum eſſe.*

CI.

CI.

Communis cuſtodia principatus, neminem vnum nimis magnum facere.

Commune hoc bonum cùm in populari, tùm in paucorum gubernatione, omnique adeò Rep. eſt, ne nimium augere quemquam ſuprà modum, maximis in eum honoribus collatis ſtudeant: ita, vt omnium ille dignitatem antecellat magno interuallo: [*Ariſtot. in polit. 5. c. 11.*] *corrumpuntur* enim *homines magnitudine honorum, nec cuiuslibet eſt in rebus tàm prolixis nimiam fortunam concoquere.* [*Dio*] Quòd ſi omninò egregium facinus aut meritum alicuius viri præmio compenſandum eſt, vtilius eſt, diuturnos ſed paruos, quàm confeſtim magnos honores diſtribuere. [*Ariſt. polit.*] Cæterùm ſi per errorem à principe aut Rep. hac in re

peccatum

peccatum eſt, non acutum nimis illud & pernicioſum remedium adhibendum eſt, ſimul omnes honores vno velut ictu auferendo: ſed paulatim iſtud faciundum eſt, & interuallis quibuſdam temporum: ne ſpoliatus ſubitò omni dignitate, vt ignominiæ & dolorum oppreſſus, in vltionem ſumma infima vno impetu confundat. Sciendum autem eſt, Athenienſes Oſtraciſmo, Syracuſanos Petaliſmo vſos in eiuſmodi periculis eſſe: quò in exilium decennale ij: qui ob virtutis & potentiæ excellentiam populo ſuſpecti erant, pellebantur. Romani prudentius, potentes ciues crebra & diuturna peregrinatione occupabant. quod & Ariſtoteles fieri in politicis iubet. Breuiter: *ſemper periculoſum priuati hominis nomen ſuprà aut iuxtà Principis attolli.* Exemplum in Seiano, qui pænè penitiſſimè Tiberium Imperio depoſuit. [*Tacitus.*]

CII.

CII.

Contemtum magis quàm odium euertendo regno eſſe.

Cùm duæ ſint cauſæ, quæ præter cæteras impellunt ac inuitant homines ad inſidiandum tyrannis, Odium & Contemtus: illa quidem origine prior & penè neceſſaria eſt: ſola autem hæc poſterior valida & prorſus efficax ad tyrannorum Imperia diſſoluenda exiſtit. [*Ariſtot. lib. 5. polit. cap 19.*] Cuius rei hoc argumentum eſt: quod pleriq; ex ijs, qui arte & falaci induſtria ſua principatus pepe- rêre, licet planiſſumè inuiſi ſubditis eſſent, metu tamen & vigilantiâ tueri ſuâ ſe potuerunt: qui autem à maioribus accepêre, ferè omnes ſtatim amiſerunt: cùm libidini atque alijs corporis voluptatibus dediti, contemtum ſui, & ex eo multas adoriendi ſeſe occaſiones aduerſarijs ſuis præbu-

aula & militia à ſe geſtas, ſtatim (ne ſint liuoribus aut perculis intraneorum expoſiti) diſcedant. Sicut Xantippum legimus, reſtitutis Carthaginienſium rebus, paulò pòſt in patriam rediјſſe, ſapienti certè conſilio. [*Polyb. lib. 1.*] Nam res egregiè geſtæ & præclara facinora inuidiam & calumnias gignere ſolent: quas ciues quidem aut indigenæ, amicorum & affinium copia atq; opera facilè poſſunt elidere: exteri verò ſtatim ab vtroque iſto vincuntur, & periclitantur.

XCIII.

Bello quomodo vir magnanimus vtatur.

Magnanimi & modeſti quidem Principis eſt ab armis quieſcere, niſi iniuria laceſſatur. Fortis autem, ſi iniuria afficiatur, pacem cum bello commutare, [*Thucyd. lib. 1.*] & ſi Dei ſuo-

ſuorumque virtute rem proſperè feliciterq; geſſerit, depoſitis armis & pace factâ in gratiam cum deuictis denuò redire. Atque hoc modo, nec felici bellorum ſucceſſu quenquam extolli æquum eſt, nec pacis atque otij dulcedine captum iniurias aduerſariorum perferre ac pati. Qui enim propter voluptatem, quam ex pacis otio percipit, à bello abhorret, is ſi quieſcat, & ab armis abſtineat, celerrimè priuabitur hac tranquillitatis otijq; iucunditate, propter quam deſidiæ atq; inertiæ indulgens, vim & iniuriam ſibi factam armis vindicare non audet. Cæterùm *qui felici & prolixo rerum ſucceſſu inſoleſcit, is haud animaduertit, quàm infidâ atq; infelici audaciâ efferatur. Cùm incerti ſint exitus omnium bellorum, Marsq; communis, qui ſæpè ſpoliantem iam & exſultantem ab abiecto perculit & euertit.* [*Liuius.*]

XCIV.

Omnium conſiliorum incerti exitus.

Nemo prudens nimiam fiduciam in cæpto conſilio collocat, quaſi illud ad collimatum ſcopum certò ſit peruenturum. *Omnium namq́ rerum, vt dictum eſt, incerti ſunt exitus, & multa malè conſulta, quum aduerſarios inconſultiores nacta ſunt, felicem euentum habuerunt, & longè plura, quæ rectè prudenterq́ conſulta & ſuſcepta videbantur, turpiter contrà ceciderunt.* [*Thucyd. lib. 1.*]

XCV.

Bellum nunquam eodem animi impetu geritur, quo ſuſcipitur.

Nemo omnium eodem animi impetu cùm bellum, tùm ceteras quoq; res gerendas exſequitur, quo in ipſa conſultatione ſine metu cum fiducia quadam deliberat: ſed cum ſecuritate quidem audacter de rebus futuris

omnes decernimus, vbi ad rem & periculum ventum eſt, animus metu deficit. [*Thucyd. lib. 1.*]

XCVII.

Mutuus metus ſocietatis inter Principes duramentum.

Nulla vnquam res [*Thucyd. lib. 3.*] principum aut ciuitatum ſocietates firmiores aut fideles magis reddit, quā mutui metus æqualitas. Quum, qui violare ſocietatem, & præter ius ac fidem machinari aliquid iniuſtum vult, is tamen, quia viribus ceteros non antecellit, rumpere fœdus & ab inuadendo altero aut ſaltem defendendo deterretur. Cuiuſmodi *ſocietas lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo continetur. Seneca Ep.*]

XCVII.

Iniuria quàm vis grauior hominibus.

Omnes homines, principes autem maximè cùm iniurâ afficiuntur, magis indignantur, quàm quum vim patiuntur. [*Thucyd. lib. 3.*] Nam quod ab eo proficiſcitur, qui eſt pari conditione, id aut præ contemtu, aut ab animi elatione, & propter pluris habendi cupidinem contrà Iuris æquabilitatem fieri videtur. Quod à potentiori fit, hoc ab ineuitabili neceſſitate proficiſci videtur. Quippè *perpetuo naturæ Iure conſtitutum ac comparatum ita eſſe homines putant, vt imbecillior à potentiore vim & regimen patiatur: ab æquali ne minimum quidem horum perferant, aut inultũ abire ſinant.*

XCVIII.

Cur fratrum, amicorúmque odia ſint acerbiſſima.

Vſu

Vſu & experimentis didici, fratrum iras & contentiones, ſi quæ naſcantur, omnium acerrimas & acerbiſſimas eſſe. [*Ariſtot. Ethic. lib. 3.*] & quò ſeſe magis antè ſimultates mutuò amauerint, bis tantò magis magiſque odiſſe inuicem ſolere. Cauſa eſſe videtur, quòd à quibus deberi ſibi beneficium exiſtument homines, ab eiſdem non ſolum priuari benificio, ſed lædi inſuper contrà naturæ Ius atque æquitatem ſeſe putent. Quod quia contrà omnem ſpem hominibus nonnunquam euenit, (*improuiſa autem magis in animos hominum deſcendunt, quàm exſpectata*) fit, vt longè ægrius ferant, ſi quam iniuriam ab amicis contrà opinionem ſuam acceperunt.

XCIX.

Amicitiæ quæ maximè durabiles.

Eos nobis amicos comparare ſtudeamus,

deamus, quibus non diue: ſi aut diſſimiles mores,& quibus eadem, quæ etiam nobis conducant: & quibus magnis in rebus communis nobiſcum fortuna ſit tales enim amicitiæ diutiſſimè ſemper perdurant. [*Ariſt. lib. 5. pol*]

C.

Societates quæ maximè vtiles.

Eorum ſocietates præ cęteris nobis conciliandæ ſunt, qui & iuſtiſſimi ſint, & non mediocri potentiâ valeant: inprimis autem in proximo habitent: [*Thucyd*] ne ſi cum vigilanti & ſobrio hoſte nobis res ſit, eius celeritate antè opprimamur, quã ſociorum auxilijs adiuuemur. Prorſus autem in animum tuum demitte, *In caducum parietem non inclinandum eſſe.*

CI.

Communis cuſtodia principatus, neminem vnum nimis magnum facere.

Commune hoc bonum cùm in populari, tùm in paucorum gubernatione, omnique adeò Rep. eſt, ne nimium augere quemquam ſuprà modum, maximis in eum honoribus collatis ſtudeant: ita, vt omnium ille dignitatem antecellat magno interuallo: [*Ariſtot. in polit. 5. c. 11.*] *corrumpuntur* enim *homines magnitudine honorum, nec cuiuslibet eſt in rebus tàm prolixis nimiam fortunam concoquere.* [*D.o*] Quòd ſi omninò egregium facinus aut meritum alicuius viri præmio compenſandum eſt, vtilius eſt, diuturnos ſed paruos, quàm confeſtim magnos honores diſtribuere. [*Ariſt. polit.*] Cæterùm ſi per errorem à principe aut Rep. hac in re

CII.

Contemtum magis quàm odium euertendo regno eſſe.

Cùm duæ ſint cauſæ, quæ præter cæteras impellunt ac inuitant homines ad inſidiandum tyrannis, Odium & Contemtus: illa quidem origine prior & penè neceſſaria eſt: ſola autem hæc poſterior valida & prorſus efficax ad tyrannorum Imperia diſſoluenda exiſtit. [*Ariſtot. lib. 5. polit. cap 19.*] Cuius rei hoc argumentum eſt: quod pleriq; ex ijs, qui arte & fallaci induſtria ſua principatus peperêre, licet planiſſumè inuiſi ſubditis eſſent, metu tamen & vigilantiâ tueri ſuâ ſe potuerunt: qui autem à maioribus accepêre, ferè omnes ſtatim amiſerunt: cùm libidini atque alijs corporis voluptatibus dediti, contemtum ſui, & ex eo multas adoriendi ſeſe occaſiones aduerſarijs ſui

præbu

præbuiſſent. cui documentò comprobando nullũ certius exemplum, quàm Hieronymi adoleſcentis, tyranni Syracuſanorum effœminatiſſimi Liuius lib.24. proponit.

CIII.

Luxuriam magis quàm crudelitatem principes peruertere.

Ex quo patet, Luxurioſos quàm crudeles principes propius plerumq; à ruina abeſſe. nam etſi odium, quod comitari omni tempore crudelitatem ſolet, cauſa prima & motio euertendis regnis ſit, *metus tamen (quē pro aſylo tyranni habent)* & formido periculũ aliquandiu remoratur, vel etiam ſingulari nonnunquam induſtriâ inſidias præcipit. Quæ omnia contrà ſunt in principe libidinoſo, quem adeò non defendit muliebris illa mollities, quin illicò inuiſus, contemtuſq; in præceps ruat. *quippè*

enim

enim non vt odiũ abſq; contemtu, ſic ſine odio contemtus eſſe poteſt. Cauſa eſt, quòd dum contemni ſe putant effœminati principes, ſæuitia & crudelitate in optimum & locupletiſſimum quemq; vtantur, *ob quæ non contemtiores omnibus* (vt Iuſtinus ait) *quam inuiſiores ſubditis ſuis fiunt.*

CIIII.

Ne minima quidem delicta in rebuſp. contemnenda aut paruipendenda eſſe.

Quemadmodum in re familiari quamuis maximas facultates parui ſed crebri ſumtus exhauriunt, dum diminutio non apparet aut ſentitur, quia vniuerſa ſimul non profunditur: [*Seneca.*] ita migratio à legibus & inſtitutis ſalutaribus, quæ pedetentim obrepit, nec tota ſimul inuadit in Remp. hoc magis obeſt, quia dum deſpicitur, occulto greſſu eò vſq; procedit, vt nullis neq; conſilijs neque

neq; rationibus deindè amplius contineri poſſit: quæ ſi vehementius initiò apertiúsve prorupiſſet, facilè nouâ legum obice via currenti illi obſtructa fuiſſet. Proindè opera danda eſt, ne id quod paruum primo intuitu apparet, negligatur, néve in re (vt quidam exiſtumant) leui & nullius momenti peccetur. *Occultè enim καὶ ἡσύχως ποδὶ ſerpit ac ſe inſinuat legum violandarum, atq; inſtitutorum negligendorum conſuetudo: quæ lento longoq; vſu eò augeſcit, donec magnitudine ſuâ totum Reip. ſtatum obruat & peruertat* [*Exemplum apud Valer. de matronarum luxuria. & ad ſenatum poſtulatio.*] [*Ariſtot. Pol.*]

C V.

Æmulationes quorundam Principum, Ciuitatum, Populorum.

Ita cum rebus humanis comparatum eſt, vt nullus ferè ſit populus, non

non Rex, non Princeps, penè dicam & oppidum, cui non æmulum aliquem & aduerſarium Deus excitarit. Germanis & Pannonijs oppoſuit Turcos, Turcis Perſas. Hiſpanis perpetua quædam contentio cum Belgio erit. Imperij vt & Italiæ principes pleriq; potentiâ eminent, & authoritate. Ijs aduerſantur, Lubeca, Brunſwiga, Dantiſcum, Venetiæ, Genua, & plurimæ aliæ Ciuitates. Venetis ſuos infeſti Pontifices Romani, & plerique omnes Italiæ principes: Lubecæ Cimbrorum Reges, alijs alij Principes vt plurimùm inſidiantur. Auſtriacis principibus magnum & graue, olim odium cum Heluetijs fuit. Nec vllum hac quidem tempeſtate aut regem aut principem, aut vilem ſaltem ciuitatem in vniuerſa Europa, Aſia atque Africa reperias, quæ non aut internis factionibus, aut finitimo aliquo aduerſario

ſario laboret & exerceatur. vt omninò exiſtumandum ſit, Deum eiuſcemodi diſſenſiones veluti quendam ſtimulum, ad acuendam quorundam populorum ignauiam, aut luxum & ſuperbiam coërcendã excitare. [*Philippus Cominæus cap. 107. int.*]

CVI.

Loca munita ſeditioſis aut ſuſpectis Ducibus à principe non committenda.

Qui Imperio inhiant, loca naturâ munita ſectantur. Quare Octauius Auguſtus Ægyptum, aliasq; prouincias, bello & ad rebellandum reſiſtendumque aptas, cenſeri inter proconſulares prouincias noluit. ne ſi quis Equitum aut Senatorum Rom. eam cum poteſtate ingreſſus eſſet, occaſione inuitaretur aduerſus Cæſarem inſurgendi. [*Dio & Suetonius in Auguſto.*]

CVII.

CVII.

Partum imperium difficilius conſeruatur, quàm acquiritur.

Dubium nullum eſt, quin minoris induſtriæ & laboris ſit, regnum acquirere quàm partum iam in ſuo ſtatu conſeruare: cùm quia exiguæ ſæpè vires, vbi hoſtes incautos & imprudentes nactæ ſunt, quamuis præualida Imperia circumueniunt, tùm verò maximè, quòd natura ſua omnia regna perindè vt ceteræ res humanæ, vbi ad ſummum peruenère, iterum decreſcunt: adeo vt ingentis & vix humanæ ſapientiæ opus ſit diu in eodem ſtatu regnum aut rempubl. conſeruare. Sic Alexandri Magni principatus pænè prius diffluxit, quàm partus ab eo fuerat & nobilis de Pyrrho rege fama eſt, ſemper illum parandis, quàm retinendis regnis meliorem exſtitiſſe: quia noua ſubindè ſibi ad alia atque alia properauit. Gallo-

Gallorum Rex Carolus 8. vno & altero menſe Neapolitanum regnum occupauit, ſed haud ſcio an citius amiſerit. adeò *excellentibus ingenijs citius defuerit ars, quâ Ciuem regant, quàm quâ ſuperent hoſtem.* [*Liuius.*]

CVIII.

In maiori ſunt authoritate qui regna acquirunt, quàm qui conſeruant.

Quòd autem quis quærat, cur celebrius nomen obtineant, qui noua regna occupant, quàm qui accepta à maioribus prudenter gubernant & tuentur? Huic ego hoc reſponſum velim, id ita fieri, vel quia *ſtudio nouitatis plurimùm capitur vulgus*, vel quia magis in luce hominum Belli ducum res geſtæ verſantur, & pluribus innoteſcunt, quàm quæ in pace & intrà parietes reip. geſtæ limites ſuos haud facilè excedunt. Vnde fit

vt quocunque animum & cogitationem conuertas, multos ſanè, & penè dicam innumerabiles reperias, qui bello & armis æternam ſibi gloriam ad poſteros propagârint: at qui præclarè remp. in pace conſeruarint, ex omni memoria paucos vel potius neminem legas. *Principes igitur noui nulla re alia gloriam & auctoritatem apud ſuos iuxtà ac finitimos citiùs quàm armorum ſtudio acquirere poſſunt.*

CIX.

Nimia felicitas vnica cauſa omnium calamitatum in Rep.

Omnibus modis operã dare principes in rep. debent, ne nimis ciuium opes & poſſeſſiones augeſcant, quæ cauſam præbeant & fomentum luxui atque inſolentiæ, aliorumque quæ hinc naſci ſolent vitiorum. *neq; enim vlla alia res plures calamitates vnquam in rebuspub. peperit, quàm nimia*

felicitas.Certè Lacedæmonij quandiu ſpretis opibus magiſtra paupertate patriæ leges coluerunt, octingentis penè annis totius Græciæ principes habiti ſunt. *Demaratus ad Xerxem apud Herodot.lib.7.*] Poſteà verò quàm Aſiæ partem & vna opes multò maximas acquiſiuerunt, diuitiæ illæ mores veteres afflixère, merſamque vitijs ſuis veluti ſentina remp. peſſundedère. Quòd ſi Romanorum fata conſideremus, equidem neſcio an ſatius fuerit Pop. Romano Sicilia & Africa contento fuiſſe, aut his etiam ipſis caruiſſe, dominanti in Italia ſua: quàm eò magnitudinis creuiſſe, vt viribus deindè ſuis conficeretur. [*Lucius Annæus Seneca lib. 3. cap. vlt.*] etenim ciuiles illi furores grauiſſimi, vndè niſi à deuicta Syria? Vndè magnificus apparatus conuiuiorum & ſumtuoſa largitio? nònne ab opulentia paritura mox egeſtatem? Iam vt ſpecio-

ſpecioſiora vitia tangamus, ambitus honorum, illa, inquam, dominandi cupido vnde niſi ex nimijs opibus venit? Atq; hæc Cæſarem & Pompeium furialibus in exitium patriæ facibus armauerunt. Nimirum vt febres, quæ humana corpora infeſtant, è materia oriuntur, ac tâmdiu vigent, quámdiu illa præſtò eſt: cùm vero & inedia diuturna, & potionibus medicorum praui humores conſumti fuerint, ſtatim & febris deſinit, & vires paulatim corporis redeunt: ſic etiam eas gentes, quibus diuitiæ atq; opes affluunt, mutuis contentionibus & cædibus perpetuò conflictari neceſſe eſt, donec bonis legibus ciuium luxuria, & nimium ſtudiú pecuniæ circulis ſuis circumcludatur.

CX

Gradus ruinæ Rerumpubl.

Scilicet hic communis ordo vi-

tiorum eſt in præpotente regno, vt potentia atque opes ſuperbiam & confidentiam, confidentia ſecuritatem, ſecuritas contemtum, & hunc ruina comitetur. Adhæc potentia magna magnas quoque diuitias ſuggerit, diuitiæ voluptates, voluptates omne genus vitiorum, quibus labefactari ciuitatum felicitas ſolet. *Adeò omnibus Imperijs ex ſeſe pernities & ruina naſcitur, quando auctis opibus virtutes interim emoriuntur.*

CXI.

Præſtat Rempub. quàm priuatos in eâ florere.

Ego exiſtumo ciuitatem, cuius vniuerſus ſtatus florens & incolumis eſt, maiorem vtilitatem priuatis hominibus afferre, quàm ſi ſingulorum ciuium felicitas priuatim floreat, ipſa verò vniuerſa iaceat afflicta. [*Thucyd. libr. 2. Periclis Conc.*] Qui enim priua-

priuatim feliciter viuit, ſi patria euertatur, ipſum quoque vnà ſimul perire neceſſe eſt. Qui verò in Repub. florente non adeò ſecundis & prolixis rebus vtitur, is tamen longè facilius conſeruatur. Duæ Respubl. inter omnes Italiæ Ciuitates cumprimis florent, Venetiæ & Genua, ita tamen, vt longo interuallo Venetos Genuenſes ſequantur. Diſparitatis vnica cauſa eſt, quòd omni tempore publicam rem magis quàm priuatas Veneti ditârint, Genuenſes contrà dum priuatas facultates mirum in modum collocupletauerunt, publicas ad mirandam paupertatem vſque neglexerint ex qua cauſa, Veneti liberrimi ſemper manſerunt, Genuates verò nunc domeſticorum, nunc finitimorum tyrannidi & direptionibus obnoxij fuerunt. Quum igitur Reſpub. quidem priuatas ſingulorum calamitates ſuſtinere poſ-

ſit, ſinguli verò publicas ipſius calamitates nullo modo ferre queant, *conuenit eos qui de Repub. conſultant, ſemper maiorem totius quàm partiũ curam ac rationem habere.* aliter fieri non poteſt, quin alterum cum altero ſimul euertatur.

CXII.

Dum vnusquiſq; rebus priuatis ſtudet, detrimentum Reſpub. capit.

Ferè id fieri ſolet in omnibus Rebuſpub [*Thucyd. lib. 1. in orat. Pericl.*] magnis præſertim atq; opulentis, vt quoties de grauioribus rebus cõſultatio inſtituitur Senatores nunquam ſimul, aut juſſi coëant, aut vbi pòſt multam cunctationem ægrè tandem in vnum conuenère, exiguum tùm quoque temporis momentum curis publicis impendant, partim quia omnes cogitationes rebus priuatis intentas habent: partim quia vnuſ-

quiſque

quiſque nil detrimenti ex hac ſua negligentia atq; abſentia capere Remp. putat; dum alios ſperat fore, qui ſuo loco Reip. negotia ſint curaturi. Adeò vero verius fit, quod Philoſophus in politicis ait, *Nemini curæ eſſe ſolere, quod pluribus ſit commune.* [*Ariſtot. in polit.*] Quòd ſi igitur non certus Senatorum numerus lege aliqua definiatur in Rep. quis non animaduertit, ſimili omnium priuatorum contandi diſputandiq; ſtudio publicam rem extrahi & labefactari.

CXIII.

Quid dicendum aut faciendum ſit illis, qui auxilia ab aliis petunt.

Qui auxilij implorandi cauſa alios accedunt, beneficia primùm ſua, ſi quæ exſtant, aut ſocietatis ius in memoriam reuocare debent: quòd ſi nulla cum illis interceſſit anteà, demonſtrent poſtulata ſua maximè

quidem vtilia fore illis, à quibus ſocietatem auxiliumq́; petunt, ſin minus, ſaltem non detrimentoſa, honeſta certè, deniq; æternam ſe gratiam ipſis habituros. [*Thucyd. lib. 2.*]

CXIIII.

Odia fratrum turpiſſima & periculoſiſſima.

Cauenda & declinanda omnibus modis fratrum odia ſunt, quæ & parentum ſenectutem malè alunt, & peſsimè liberos educant. Adde quòd etiam apud Ciues criminibus obijciunt. [*Plut. de odio.*] exiſtumāt enim ex tanta neceſſitudine, conuictu & familiaritate, fratres delabi ad inimicitias nunquam potuiſſe, niſi multorum & atrocium ſibi inuicem eſſent flagitiorum conſcij. quippè *magnas oportet eſſe cauſas, quæ magnam beniuolentiam amicitiamq́; diſſipent*, vnde fit vt non facilè locus ſit reconciliationi.

tioni. Nam ſicut quæ compacta ſunt, etiam glutine ſoluto rurſus colligari ac coire poſſunt: corpus autem quod natura vniuit, ſi rumpatur aut ſcindatur, difficulter glutinari aut coaleſcere rurſum poteſt. Ita quas vſus contraxit amicitias, eæ diſſidio interueniente paruo negotio redintegrantur. fratres vbi naturali amore exciderunt, neque in gratiam facilè redeunt, & *reconciliatio ſemper cicatricem ſordidam & latente malo infectam retinet.*

CXV.

Bonæ artes quando florentiſſimæ.

Nunquam magis artes bonæ aut præclara ingenia effloreſcunt, quàm ſi ſuæ præſtantiæ ſpectatorem & teſtem nacti ſunt, qui & optimè æſtimare egregia opera, & liberaliſſimè compenſare queat. tanta certè temporibus Alexandri, Caroli M. Leo-

nis Pontificis, Franciſci I. & Alfonſi Arragonij regis, meſſis magnorum virorum extitit, vt non tám ætate illorum, quàm propter illos nati eſſe videantur. *Nimirum vt frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit: ita artium & bonorum ingeniorum incrementa benignitas, honor & humanitas regis efficit:* & contrà principum inuidia, ſordes aut ſtudium contentendi omnia iſta extinguunt.

CXVI.

Principes ægrè ſana aliorum conſilia admittunt.

Plato à Cyrenæis rogatus, [*Plut. ad Pr.*] vt legibus & inſtitutis bonis Rempublicam ſuam formaret, recuſauit: quòd diceret difficulter Cyrenæis leges poſſe præſcribi, rebus eorum ita lætis atq; prolixis: cùm nihil tàm ſit petulans, ferox, & imperio reluctans, atq; eſt homo, cùm ſecunda for-

da fortunæ aura effertur. Sic *nil difficilius eſt, quàm Imperantibus conſilium de Imperio, de bonis moribus, de Iuſtitia, de clementia & liberalitatis exercitio dare.* aut enim verentur conſilium aut doctrinam vtpote imperaturā ipſis, & ad ſubditorum, quam ſuam vtilitatem magis profuturam, admittere: aut metuunt vim principatus reſolutum iri, cuncta ad officij rationes reuocando. [*Plato in epiſt. 7. ad Amicos Dionis.*]

CXVII.

Magna negotia viris magnis committenda.

Legatos Principum vt & eos, quibus res graues & magni momenti committuntur, præſtantes & multorerū vſu peritos debere eſſe, minimè ambigendum puto. non ſolum quia ex legatorum vita & moribus prudentiaque ipſos principes vulgò æ-

ſtimamus, ſed etiam quòd apud egregias vilesque perſonas res quoque & negotia bonũ malúmue exitũ ſortiantur. Atq; hoc cùm Apollofanis exemplum confirmare poteſt, quem ex Medico Antiochus præſidem concilij ſui fecit. [*Iuſtinus.*] tùm verò maximè Oliuarius tonſor Ludouici XI. Galliarũ Regis, qui miſſus cum literis ad Gandauenſes legati nomine: propter generis obſcuritatem (nam originem habebat ex quodã vico, propè Gandauum) & ineptum ſermonem tanto cum ludibrio & indignatione exceptus fuit, vt niſi clàm ſalutem fugâ quæſiuiſſet, in flumen fuiſſet abiectus. [*Commin.*] Sic Leo Byzantius cum ad Athenienſes ſeditione exagitatos verba facturus proceſſiſſet, ob ſtaturæ breuitatem riſu fuit exceptus. At C. Fabricius ad Pyrrhum miſſus quàm pulcer & excellens? [*Plut. in Fabricio.*] Cuius tanta

dexteri-

dexteritas dicam ánne authoritas apud hoſtem fuit, vt non ſolùm impetrarit omnia, quorum gratia profectus fuerat, ſed vltrò magnam regni partem, ſi quidem vellet, donatò acceperit. *tantum momentum in vtroq́ genere legatorum, vel ad perficiendas res commiſſas, vel ad euertendas ſolet eſſe.*

CXVIII.

Duplex aditus ad Rempubl. aulámue principum.

Ad Rempubl. ſeu fauorem principis duo ſunt aditus & quaſi viæ, [*Plut. in pol*] altera breuis & ad gloriæ ſplendorem expedita, non tamen periculi expers: altera vt magis pedeſtris ac tardior, ita tutior & ad perpetuitatem vſque ſecura.

CXIX.

Homines à magno facinore commendare ſe Principi aut Reipub. debent.

Sunt

Sunt enim qui à ſplendido aliquo & audaci facinore, velut à promontorio quodam in altum procurrente ſoluentes, in rempub. dant vela, Pindari monitu, dum ait,

Incipiente opere, primordium
In fronte ponendum eſt latè fulgens.

[*Olymp. 6.*] Sic enim ordientem plerique tædio ac ſacietate conſuetorũ promtè excipiunt, & celer ſplendidusque impetus facilè inuidiam, quæ tardis illis remoram iniicit, abſterret. *Nam,* (vt ait Ariſto) *neq; fumum ignis gignit, neq; inuidiam gloria, ſi ſubitò ac celeriter effulgeat.* ita vt in eum neq; inuidia, neq; contemtus quicquã facilè poſſint. Sic Aratus à Nicoclis tyranni cæde initiu auſpicatus eſt, Alcibiades prælium Mantinenſe conflauit, Torquatus duello Gallum, Dauid Goliathum vicit Pomp. triumphum poſtulauit, nondum Senator factus: Cicero homo planè No-

nus ac juuenis ſpreto Sylla, magna cũ gloria Roſcium defendit. Quòd ſi cui pacis ſtudia, bellicis artibus magis arrident, reſtant vtique judicia publica, & ad Reges, Imperatoresque legationes, quæ virum acrem atq; audacia conſilioque inſtructum requirunt: & ſi quæ alia ſunt principia ad gloriam dignitatemq; ſplendidiora.

CXX.

Amicitiam magnatum tutiſſimam viam ad potentiam & honores eſſe.

Sed ego viam illam alteram, licet tardam, tutam tamen ingredi malim, quam multi clariſſimi viri proſperè feliciterque calcarunt, vt Ariſtides, Phocion, Pammenes Thebanus, Lucullus, Cato, Pompeius, Ageſilaus. [*Plutarch. de Regend. Rep.*] horũ quiſque hederam imitatus, quæ validam amplexa arborem ſimul vnà attollitur, ſe-

tur, ſeni àlicui iuuenis, & illuſtri ób-ſcurus ſeſe applicuit, eiusque potentiæ paulatim ſeſe ſubjiciens, atque vnà augeſcens, radices ad multò maximas dignitates in remp. egit. Nam Ariſtidem Cliſthenes auxit, Phocionem Chabrias, Lucullum Sylla, Catonem F. Maximus, Epaminondam Pammenes, Lyſander Ageſilaū. quorum tamen hic intempeſtiuo contentionis ſtudio & opinione æmulationis irritatus, contumelioſè ſuum agendi præceptorem abiecit. Ceteri præclarè & ciuiliter ad finem vſque ſuos excoluerunt & exornarunt, *non aliter quàm obiecta ſoli corpora ſolent, ipſos viciſſim augentes & illuſtrantes.*

CXXI.

Patronum ſiue auctorem ſuæ dignitatis offendere periculoſum.

Ingratitudo etſi vbiqùe abominabilis ſit & odijs hominum expoſita, nuſquam tamen

tamen deteſtabilior eſt, quàm ſi quis auctorem potentiæ & dignitatis ſuæ prauo, non dicam ſcelerato quodam æmulationis cupidine oppugnare, & loco turbare conatur. Cuiuſmodi olim Sylla in Mariũ, Cæſar in Pompeium fuère: quorum omnium eò breuior felicitas fuit, quò acrius magiſtros actionum ſuarum oppreſsère. Prudentior hac quidem in parte Afranius, Pompei Amicus, quanquam humili planè loco ortus, tamen cùm ſe conſulem deſignatũ iri certò crederet, vbi intellexit Pomp. alijs cupere, petitione deſtitit, quod diceret, conſulatũ adepto ſibi non tantum acceſſurum ſplendoris, quantũ moleſtiæ & difficultatis, ſi Pompeio neq; volente neque adiuuante Conſul crearetur: itaque vno anno cum ſuperſediſſet, deindè neque repulſam paſſus, & patroni ſui amicitiam conſeruauit. Quod imitan-

dum omnibus cenſeo, præſertim gloriæ cupidioribus, *ne ad exemplum reguli illius Æſopici, qui aquilæ humeris euectus ſubitò euolauit & anteuertit, ita ij quoq́ auĉti gloriam aliorum ſuffurentur.* Sed vt amicè; & cum beneuolentia accipiant. quando *qui antè non ſeruire, dominari rectè non poſſunt.* vt ait Plato.

CXXII.

Quales Ductores ad Rempub. & dignitates eligendi.

Cæterùm commune hoc præceptum omnibus cũ aulæ tùm reipub. ſectatoribus propono, vt duces ſibi honorum deligant, non ſimpliciter potentes, magnificos, & glorioſos, ſed & qui his talibus à natura benè velint & faueant. [*Plutarch. de regend. Rep.*] *Sicut enim non quæuis arbor patitur aut educit circumplicatam ſibi vitem, ſed ſuffocat potius & incrementis eius officit: ita in*

ita in rebuspubl. qui non ſtudioſi bonorum, ſed tantùm potentiæ & honorum cupidi ſunt, nullas concedunt iuuenibus actionũ occaſiones, ſed velut gloriæ ſuæ præreptores, graui inuidia premunt. Sic Marius cũ in Africa plurimas res Syllæ operâ feliciter geſſiſſet augmenta gloriæ eius ægrè ferens, vti ipſo deſijt planéque abiecit. atque ego quidem aliquando magnos in aulâ progreſſus poteram feciſſe, niſi ille ipſe, cuius operâ plurimũ conſecutus eram, inuidiâ motus mihi obſtitiſſet. Quanto autem præclarior Syllæ laus, qui Pomp. iam inde ab adoleſcentia ſic extulit, vt & aſſurgeret accedenti & caput detegeret: reliquiſque iuuenibus adeò non inuidit, vt potius omnes excellentium actionum occaſiones illis ſubminiſtrarit, quoſdam etiam inuitos inſtigando, reliquos gloriæ & æmulandi ſtudio implendo, cùm tamen omnes ſub ſe haberet, v-

ret, vt qui non ſolus, ſed primus & maximus eſſe inter multos & magnos cuperet.

CXXIII.

Socij quales in re gerenda nobis ſint adiungendi.

Prætereà, vbi res aliqua magna & vtilis conficienda eſt, ſed quæ magnum certamen ac ſtudium vehehens requirat, ibi conare aut optimos amicorum, aut optimorum amiciſſimos placidiſſimosque tibi adſociare. Hi enim minimè in diuerſum nitentur, maximeque adiutores negotij peragendi erunt. Cæterùm diligenter admonendos hic cenſeo meos politicos, vt antè omnia naturæ ſuæ vim & qualitatem explorent, ne, ſi in quibuſdam à natura parum valeant, ſui ſimiles deligant, ſed tales, qui præſtare id; quod illis deeſt, melius poſſint. quemadmodum Diomedes

medes ad ſpeculandũ fortibus præteritis, Vlyxem prudentem ſibi ſocium aſſumſit. [*Homer. Iliad. 7.*] Hoc enim modo magis æqualis actionum momenta diuiduntur inter ſocios, & *à diuerſis virtutibus profecta gloriæ cupiditas contentionibus non eſt obnoxia.* Igitur in legatione obeunda, ſi ipſe non ſis facundus, dicendi peritum tibi adiunge, vt Epaminondam Pelopidas: ſi ad perſuadendum multitudini ineptus, & elatior, gratioſum aliquem & demerendi gnarũ: ſi corpus laborum & inediæ parum tolerans, robuſtum aliquem, & qui hæc talia facilè ferat, vt Nicias Lamachũ. Sic enim in admiratione Gergones fuit, habens crura multa: & manus & oculos, quibus omnibus vnus animus præfuit magna cum vtilitate.

CXXIIII.

Imperandi cupido vehemens.

Nulla

Nulla ſunt vel natura vel amicitiæ vel beneficentiæ ſatis firma vincula, vbi maieſtatis & imperandi furioſum deſiderium inueſerit: hâc omnia facillimè proſternuntur & conculcantur. [*Ariſt. in Eth.*]

CXXV.

Obſequium & Comitas.

Obſequium non in aula ſolum, ſed etiam in libera Repub. magnum adiumentum confert ad honores & diuitias parandas. [*Tacitus lib. 1. Annal.*] Huius præcepti egregium artificem Iul. Cæſarem propono, cuius perpetuum inſtitutum fuit, vt promtiſſimũ ſe exhiberet ad vnumquemuis etiam viliſſimum hominem demerendum adulandumque, adeò vt neque ſermonem actionemque nec vllas alias rationes intermitteret, donec re aliquâ potiretur. [*Dio in Iul. Cæſ.*] nec quicquam ſollicitus de ea humilitate, in quam ſe impræſentiarùm

rùm demittebat, dummodò potentiam ex ea ſibi pararet. Igitur inter quos primus fieri diſcupiebat, his ſeſe vltrò tantâ dexteritate ſubmittebat, vt juvenis adhuc, neque vllo anteà geſto magiſtratu, in pontificatus petitione multis præclaris viris, inprimis Catulo, qui tum princeps Senatus habebatur, fuerit prælatus. [*Plut. in Cæſare.*]

CXXVI.

Pollicitationum promtitudo

Humanæ conditionis quâdã imbecillitate fit, vt etiã viri magni & graues ſæpenumerò promtiores in promittendo ſint, ac minando, quàm poſteà proficere poſſint. [*Dio lib. 42.*] Proindè nemo tibi tàm amicus, tàm familiaris tàmq; perſpectus habeatur, cuius pollicitationibus permotus res & fortunas tuas in ſingulare quoddã diſcrimen demittas. *Vere enim Cupreſſis ſimilia ſunt talia pro-*

lia promittentiũ verba, quæ ſublimes cum ſint ac pulcræ, & procul egregium quiddam polliceri videantur, vbi propè acceſſeris, fructum non habent.

CXXVII.

Contemtu & dicacitate odia hominum facillimè conciliari.

Haud ſcio an vllâ re magis quàm acerbâ dicacitate & contemtu aliorum odia hominum concilientur. [*Dio in M: Cic.*] Cicero certè cùm libertate nimiâ dicendi ad ſatietatem vſque vteretur, omnium penè ciuium gratiam & fauorem amiſit: cumque multis ſanè profuiſſet in iudicijs, nequaquam tamen fauoris tantũ, quantum ex offenſa odij ſibi conciliaui. *Etenim alioquin plerię mortaliũ procliuiores ſunt ad ſuſcipiendas inimicitias aduerſum iniquiores, quàm ad gratiam defenſoribus ſuis referendam, atq; ijs quidem, quorum patrocinio vſi ſunt, mercedem ſe perſoluiſſe non-*

ſi nonnunquam exiſtumant, aduerſarios autem quâcunq; ratione vlciſci ſtudent.

CXXVIII.

Fato volente homines quoq; velle neceſſe eſt.

Vetus illud admodum ſe rectè habet, *debere nos non ea petere vt fiant, quæ volētibus nobis euenirent: ſed ea velle, quæ ex neceſſitate quâdam eueniunt.* [*Nicephorus Gregoras.*] Neque enim vitam noſtram noſtro ipſorum arbitrio regimus, neque ea in noſtra ſita eſt poteſtate, ſed vt viſum fuerit DEO, ita viuendum eſt: & quale fatum vitæ noſtræ curriculo deſtinatum, talia nobis accidere, ſiue nos velimus, ſiue nolimus, prorſus eſt neceſſe.

CXXIX.

Potentia è ſeditione nata haud diuturna.

Ea eſt humanæ felicitatis conditio, vt

momentanea tota ſit, & in diem vix perdurans. ac ſæpè ſit, vt quo quis maiora incrementa ab hâc accepit, tanto grauiore cauſa iterum in præceps eat. idque maximè omnium in ſeditione ciuili. Quâ cum qui multum luctantur, parum ij aut nihil potius differunt ab his, qui graui tempeſtate jactantur. eodem enim modo ſusque deque & in omnes partes abripiuntur, donec vniuerſi veluti communi reip. naui fracta penitus ſubmergantur.

CXXX.

Æqualium amicitia ad potentiam parum valida.

Improuidè agunt, quicunque potentium quorundam amicitijs confiſi, valido niſu ad dignitates contendunt. Sic enim comparatum eſt, vt qui potentiam affectant, cetera omnia cupiditati ſuæ poſtponant. [*Ariſt.*] ita vt amiciſſimos etiam, genereque

req; proximos, inimiciſſimorum loco ducant. exemplum in Pomp. & Cæſare.

CXXXI.

In Miniſtris principes peccare.

Nulli amicorum aut officialium ſuorum nimiam indulgere licentiam principes debent. ſed ita ijs moderari, vt ne ab illis in culpam aut reprehenſionem conijciantur. [*Dio libr. 52.*] Nec enim ſatis eſt, vt ipſi nullam iniuriam faciant hominibus, niſi etiam prouiderint, ne id à miniſtris ſuis fiat, propterea quòd nihil intereſt ad quantitatem iniuriarum, à quo eæ proficiſcantur. Galba optimus aliàs Imperator, tamen cum aut ignoraret aut conniueret ad fraudes miniſtrorum, excitato tumultu miſerrimà morte interemptus fuit. *Incumbit igitur principi, vt non ſe vnum modò, ſed omnes Miniſtros ſubditis & Reip.*

præſtent. Quidquid enim hi rectè vel ſequius egerint, id verò dominis aſſcribitur, talesq́ illos cuncti cenſent, qualia illi facta exercere ſeruos permiſerint. Qui enim (vt ait Philo) *caſtigare aut ſaltem cohibere cum poſſit, non cohibet, palàm eſt, eum permittere, & penè mandare.*

CXXXII.

Tyranni magnos viros non ferunt.

Tyranniones proprium ſibi hoc habent, vt egregios & præſtantes in Rep. ciues, ſi ſint ſuſpecti ſibi, populo verò grati & accepti, eos vel honeſtis prætextibus à Reip curâ prorſus amoueant, vel miltiæ periculis obiectent, vt Micipſa Iugurtham: [*Saluſt. in Iug.*] vel denique honeſtis muneribus ac longis per legationes peregrinationibus, ab ijs, quibus chari ſunt, abſtrahant: quo faciliùs amicorum auxilio deſtitutos inſidijs & & aſtu, & excitatis in eos validis aduerſarîjs

uerſarijs ſpecie ſimulatum vi vel veneno de medio tollant. Quo ſcelere & aſtu Germanicus à Tiberio Imp. cui diu inuiſus fuerat propter excellentes animi virtutes, tandē per Cn. Piſonem fuit ſublatus. [*Tacitus lib. 2. Annal.*]

CXXXIII.

Fortunâ modeſtè vtendum.

Boni ducis eſt, ſecundâ fortunâ in conditione honeſta pacis potius uti, quàm ſpe vanâ euectum in caſum irreuocabilem ſeſe dare. [*Liuius.*] *Modum enim imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ, prudentis & felicis meritò eſt.* admirabilem hac in re pop. Rom. conſtantiam vbique offendo.

CXXXIV.

Vni ſoli crebra imperia non committenda.

Multæ ſunt cauſæ, propter quas v-

ni alicui crebra exercitus Imperia committi non debent. Primùm, *quia tanta eſt inſolentia animi hominis, vt non iuuenes modò, verùm etiam ætate prouectiores, poſtquàm multum temporis in poteſtate tranſegerunt, patrijs moribus haudquam ſibi viuendum putent.* [*Dio.*] Deindè, fieri nullo modo poteſt, quin magna paucitas & penuria exiſtat eorum, qui ſeſe ita exerceant in rebus gerendis, vt ſpectata eorum virtus facilè iudicium populo aut principi præbeat deligendi ex ijs, quem inſtantibus negotijs præficiant, ſi dignitates & honores, (vnicũ incentiuũ virtutis) penes vnum vel paucos conſeneſcere vident. Bello certè Sertoriano & pòſt aliâs ſæpè Romanis dux defuit, nulla alia de cauſa, quàm quòd prioribus temporibus, ijſdẽ ducibus ſemper fuerant vſi. Poſtremò, vt paucis dicam, vnde aut Marij inſoleſcentia? aut crudeli-

tas

tas Sullæ? aut denique Cæſaris libido regnandi, quàm ex nimia imperiorum prorogatione?

CXXXV.

Vulgus infirmiori plerunq; fauet.

Eſt hoc prauum ſtudium à natura inditum vulgo hominum, vt in omni genere contentionũ deteriori & inferiori faueant.

CXXXVI.

Magnas Reſpubl. quieſcere non poſſe.

Neceſſe eſt, magna Imperia & Reſpub. laborando, militando, & periculis ſubeundis præſentem felicitatem tueri. *omne* enim *id quod communem ſortem excellit, æmulationi inuidiaque aliorum patet.* Hinc illud eorum, quorum conditio inferior eſt, contrà potentiores perpetuum bellum exiſtit. [*Iul. Cæſar ad milit. apud Dionem*] Proinde aut ne ab initio qui-

dem eouſq; euehenda Imperia ſunt, vt communem ſortem rerumpubl. excellant, aut vbi ad tantum faſtigium peruenêre, vt vel in alios Imperium retinendum, vel parendũ ipſis ſiet, (*quippe* enim *potentes Reſp. quietã atq; otioſam vitam ſine periculo viuere nequeunt.*) arma in manibus ſemper ſunt habenda. hac enim ſola ratione magna Imperia conſeruantur. qui verò ſua otiosè tenent, ij in periculum de his ipſis veniunt: at quibus tantum eſt facultatis & audaciæ à ſuis rebus, vt aliena quoque bello inuadant, facilè hi ſua tuentur. Neque enim quiſquam ſuis rebus metuens ad aliena animum adijcit: quòd is timor quem de proprijs habet, ab omni eum prorſus alienorum cura auertit.

CXXXVII.

Inopinata mala grauiora.

Mala inopinata longè grauiores affe- *ctus*

ctus in animis hominum excitant, quàm præuiſa anteà aut exſpectata. Nam qui delictorũ in re quapiam conſcij ſibi ſunt, ijs ſi quid imminet mali, exſpectantibus & metuentibus imminet, quibus vtut non aliud, illa ipſa tamẽ præſcientia calamitatem non nihil leuiorem reddit. Quos autem mala præter exſpectationem opprimunt, hos certum eſt mirum in modũ obſtupeſcere, & extrà ſe quodammodo rapi. [*Veget. & Thucyd. lib. 5.*]

CXXXVIII.

Quæ res factiones facilè concitet.

Duæ ſunt res, quæ amicitias æqualium in Repub. confundunt, *Metus* & *Inuidia*. Idq; plurimum fit, quum aut de gloria aut de potentia certamen initur. [*Thucyd. & Ariſtot. pol.*] Quæ quidem quamdiu æqualia ſunt vtrinque, amicitiã inconcuſſam conſeruant: verùm vbi alter alterum an-

tiſtat, ibi & inferior inuidia motus, odio ſuperiorem proſequitur, & potentior contemtu imbecillioris elatus contumeliam ei infert. [*Dio lib. 42. de Pomp. & Cæſare.*] Ita euenit, vt cum alter indignetur inferiorem ſe ferre, alter præſtantia ſua nimium ſe extollat, ex priſtina amicitia ſua ad diſcordias primùm, dein factiones, deniq; manifeſtarium bellum ruant.

CXXXIX.

Initia principum ferè meliora quàm finem eſſe.

Ex initijs principatuum ſi quis in vniuerſum iudicare aut promittere ſibi aliquid velit, mea quidem ſententia valdè errauerit. Nam *initia plerumq; magiſtratuũ meliora ſunt quàm finis:* dum ſimulata quadã clementia & humanitate in noua dominatione vtuntur principes: quas tamen virtutes diuturnitate in ſuperbiam mutant:

mutant: vt Tiberius & Nero aliȷque, quorum principiȷs nihil iuſtius, nihil modeſtius, aut pulcrius, fine verò nihil fœdius, crudelius, aut ſceleſtius fuit. atque hoc eſt, cur à prudentibus tantoperè Titi Veſpaſiani felicitas prædicetur, quòd bienni Imperio functus tantum fauorem popul. Rom. meruerit, vt Amor & delitiæ generis humani appellaretur. [*Suet. in Tito Veſpaſ.*] quam laudem dubio procul amiſſurus fuerat, ſi diuturnius regnum ei contigiſſet. adeò multum in commutandis moribus hominum, maximè verò in Principum, etiam vnius anni tempus valet. [*Plut. in Pomp.*]

CXL.

Principes imperiti.

Nulla maiore clade populum Deus affligere poteſt, quàm ſi principem ei præficiat ſtolidum & imperi-

tum. neque enim dici poteſt, quàm multa hinc oriantur incommoda. [*Commin. lib. 5. Hiſtor.*] Nam quia totus ab aliorum arbitrio ille pendet, neq; per ſe quicquam ipſe gerit, naſcuntur factiones, diuiditur populus, dirimitur Senatus & proceres regni, inde bellum naſcitur, atque ex bello penuria rerum, quàm excipiunt deinde morbi & omnes aliæ calamitates. *Iuſtam ergò & doloris & querimoniæ cauſam habet populus, cum ſui Principis liberos videt malè inſtitui, & ab hominibus vitioſis educari.*

CXLI.

Principi adoleſcenti quales magiſtri præficiendi.

Cùm vnius ſæpè Conſiliarij perfidia in principali publicóue conſilio maximorum malorum in regno aut Repub. cauſa exiſtat. [*Polyb. lib. 5. in Pr.*] maximoperè hoc in cruda adhuc

huc Principis, ætate, cauendum eſt, ne homines ambitioſi, crudeles & auari ſe in curam & tutelam eius inlatebrent. qui prætextu regiæ dignitatis amplificandæ omnia pro animi ſui libidine adminiſtrando, veteres & probatos principis officiarios exigãt, alios autem imperitos & ſibi fauentes in eorum locum ſubſtituant; quo liberius agere & conſequi, quæ velint poſſint. quod ſi qui talium iam irrepſere, & maiores ſunt, quàm vt tutò remoueri queant alios opponere illis præſtat, & potentiã præmunire. qui concordes inter ſe, Principis animum ſalubribus præceptis moderentur, & regant. [*Exemplum in Tacito lib. 13. Annal. vbi Seneca & Burrhus Aggrippinæ oppoſiti.*]

CXLII.

Ex vna & altera virtute de vniuerſa hominis qualitate malè iudicari.

Vſque

Vſque adeò natura hominum non ſolùm corpora, ſed etiam animos diſſimiles ſui finxit, vt ſæpè numero vnus idemque vir non modò in rebus diuerſis, hic quidem fortiter, illic ſegniter ſe gerat. [*Polyb.lib.4.*] ſed in ſimilimis quoque negotijs nunc inauditam quandam celeritatem, nunc verò incredibilem ignauiam oſtendat, & aliquando quidem fortiſsimus, nonnunquam verò timidiſsimus videatur. quippè in venationibus, (quæ magnam partem belli artes repræſentant) multos cernimus aduerſum ferociſſimas beluas audaciſſimos eſſe: quos ſi ad arma hoſtesque tranſtuleris, ignaui ſocordesque apparebunt: in rebus autem bellicis aliqui ad ſingularem pugnam acerrimi ſunt, qui in acie nullius pretij forent. Theſſalicos equites olim conferto prælio inſuperabiles conſtat fuiſſe: eoſdem ſi per partes quis attentaſſet,

tentaſſet, lacerare carpereque facillimum erat. in Ætolis hæc omnia contrà fuère. Iam Cretenſes terreſtribus ac noualibus prælijs ad inſidias furta, rapinas & omnia deceptionum genera promtiſſimi erant: in acie verò ſegnes, timidi, ac inutiles prorſus. his iterum Achæi ac Macedones planè contrarij. Sed pro mea ſententia omniũ optimè Aratus ſtat: qui cùm ſingulari audaciâ, in tolerandis laboribus & periculis eſſet, ſicubi tamen acie dimicare cogebatur, in conſilijs ſegnis, in ſubeundis periculis timidus & abiectus erat. *Propterea magnæ prudentiæ eſt, quemqúe cuiqúe functioni, pro indole ſua admouêre, ne inde magnæ confuſiones rerum oriantur. neqúe enim ex omni memoriâ inuentus eſt, cuius virtutes, quantumuis magnæ eæ, nullo vitiorum confinio læderentur.*

CXLIII.

CXLIII.

Inferior non lædendus.

Generoſos viros conuenit ſub moderata ciuilitate omnia peragere. quia tantum potentibus creſcit læſionis inuidia, quantum premi poſſe creditur, qui inferior comprobatur: *quippe infelices miſericordia, potentes inuidia ſemper ſequitur, dum victus accepiſſe, victor attuliſſe iniuriam videtur.* [*Caſſiodorus Var. lib.*]

CXLIV.

Aulicorum ingenia & mores quomodo Princeps cognoſcere poſſit.

Sicut Solis ortus, corporum colores, fugata nocte detegit, ita ſe aulicorum Qualitas aſſiduè viſo principe non celabit. [*Caſſiod. Var.*] Mens eorum ex oculis eorum patebit & auribus. *In vultu & in voce cognoſcuntur ſeruientium mores:* ſi facies tran-

quilla

quilla, ſi vox moderata ſuggeſſerit, credũt boni Principes probatiſſimas cauſas. Quidquid enim turbulenter dicitur, iuſtum ne putes. Quapropter penſabit loqui illius dominantis examen, quando nequeunt proprias tegere voluntates, qui ſuos poſſunt perferre ſermones. *Speculum ſiquidem cordis hominum verba ſunt*, dum illicò moribus placere creditur, quod ipſe ſibi ad agendum delegiſſe demonſtratur. *SVPERBVS* quin etiam *varicatis greſſibus patet. Iracundus luminum feruore declaratur. Subdolus terrenum ſemper amat ſuſpectum. Auarus obuncis vnguibus explanatur.. Leues inconſtantia prodit oculorum.* Nemo igitur principem poteſt fallere, qui & rerum naturalium cauſas optimè in illis probatur inquirere.

CXLV.

Principum largitiones quales.

Quem-

Quemadmodum ab ijs ficubus, quæ in altis præruptisque naſcuntur, homines nullum fructum accipiunt, ſed corui & milui tantùm: ſic multos magnos principes & reges inuenias, qui in adulatores & id genus nihili homines plura ſemper abijciant, quàm in viros honeſtos & ſpectatos, qui omnem vitæ & ætatis vigorem, imò & ſanguinem ipſum pro ſalute & tranquillitate illorum impenderunt [*Stobæus Serm.* 15.]

CXLVI.

Nec bono conſultori præmium, nec malo pœnam aut ignominiam ſtatuendam à Rep. aut principe eſſe.

Hippodamus quidam Mileſius is, qui primus eorum, qui Remp. non attigerant, conatus eſt aliquid de optima Reipub. adminiſtrandæ forma dicere? inter cætera quæ nouiter reperit, Legem quoq; ferendam putauit,

tauit, de præmio & honore aliquo decernendo ijs, qui aliquid vtile ciuitati reperiſſent, vt eo modo ciues acriore ſtudio in Reip. commodum excubarent. [*Ariſtot. Pol. l b. 3. c. 4.*] Quod adeò ſapienter dictũ factúmue mihi non videtur. Præterquam enim quòd calumnias, & Reip. ſi ita cadat, commutationes & conuerſiones ea res habeat, (quippè quæ facultatem datura ſit, honoris mercedisque illius cupidis hominibus, vt aſtutè multa valeant recta inſtituta criminari: legem item aliam promulgare, qua ciuitatis ſtatus mutetur) tandem eò deueniri neceſſe eſt, vt poſteaquàm in auaritiæ aut ambitionis ſuſpicionem quidã venerint, licet optimè eos dicere conſtet, inuidentes ijs ciues propter incertam ſordium ſuſpicionem, certam ac manifeſtam Reip. eripiant vtilitatem. Et quoniam vſu venire ſolet, vt bonæ ac

næ ac ſalutares ſententiæ, quæ ex improuiſo dicuntur, non minus quàm malæ & pernicioſæ ſuſpectæ ſint, eueniet, vt oporteat pariter, tàm illũ, qui Reip. peſſimum conſilium eſt daturus, quàm illum, qui optimam ſententiam dicturus eſt, multitudinem dolo ſibi conciliare, & mendacio cauſam ſuam probare. adeoque ſolam Rempub. beneficijs apertè & ſine dolo nullius propter huiuſmodi ſuſpiciones poterit afficere. Qui enim apertè beneficium dederit reip. in quæſtus obſcuri ſuſpicionẽ cadet. quaſi pro beneficio ciuibus dato, ipſe beneficium aliquod longè maius ab ijs clàm ſit accepturus. Proindè ſic ſentio ſapientis Reipub. aut principis officium eſſe, nec optimo conſultori nouum honorem aut præmia alia addere: nec eam quam iam habet, malo conſultori dignitatem adimere. Iam enim & is, qui in dandis con-

dis conſilijs excellens eſt atque eminet, præter animi mentem aut ad gratiam alterius nihil loquetur, adductus fortè an ſpe honores aut præmia adipiſcendi: Et, qui ob imperitiam ſuam in conſulendo fortè à ſalubri via deflexerit, non pertinaciter nimis pro ſententia, quam dixit, pugnabit.

CXLVII.

Amari quàm metui à Principe melius.

Multi reperiuntur in aulis Principum excellenti virtute viri, qui hoc valdè ad laudem ſuam facere putant, ſi Principes ſuos continere in metu & reuerentia ſui poſſint. [*Commin.*] Quod imprudenter omninò fieri mihi videtur. Cùm enim nemo ſit omnium, qui non cupiat in libertatem ſe aſſerere, & malè de ijs ſentiat, à quibus metu vel ſeruitute coërcetur,

ercetur, tùm vel maxima libertatis illa cupiditas atque odium ſeruitutis in Principibus viget. Ideoq; illi modis omnibus occaſionem captant, qui eiuſcemodi miniſtros è medio tollant. Quod Iacobo Picinino admirabili virtute prædito viro, accidit: quem ob nullam aliam cauſam Franciſcus Sfortia Mediolani Dux ab Alfonſo Neapolitano interfici curauit, quàm quòd Picininus virtute & authoritate ſuâ Sfortiam aliquoties in ordinem redigiſſet. [*Quicciard. & Paulus Iouius.*] Similis fortuna ob ſimile delictum Coneſtablium ſanctopauli Comitem, inſigni virtute virum ſecuta eſt. Quapropter qui meliore fato in aulis frui optant, operam dare debent, vt diligatur quidem à Principe, non autem ut metuantur. Nam qui diuerſam rationem ingrediuntur, vt periculum tandem & calamitatem effugiant, fieri non poteſt.

poteſt. *Ferè autem ſit, vt qui bonam & fidelem operam præſtiterunt, arbitrentur ſibi aliquantò plus quàm alijs licere. Principes contrà longè aliter ſentiunt, & æquius eſſe ducunt, vt qui ſe ipſorũ clientelæ & miniſterio tradiderunt, officio fungantur.*

CXLVIII.

Cur egregiæ nonnunquam operæ minus liberaliter à principibus remunerentur.

Ludouicus XI. Galliarũ Rex prudentiſſimus dicere ſolebat, egregias ſæpè operas miniſtrorum minus liberaliter à Principibus remunerari, non tàm ingratitudine Principum, quàm eorum, qui operam præſtiterunt, vitio: [*Commin. d. l.*] dum elati quadam confidentiâ, propter res proſperè feliciterque geſtas inſolenter & proteruè multa faciendo gratiam domini & virtutis præmia ſtolidè peruertunt.

CXLIX.

Plus amant Principes quibus benefecerunt, quàm à quibus acceperunt.

Idem confirmabat, feliciter agi ſua quidem ſententia cum eo, cui nulló ſuo magno merito Princeps benefacit, & vt quis beneficio ſit obſtrictus Principi, id multò præſtare, quã vt princeps clienti aut famulo alicui ſuo multum debeat: eoq; ſe ingenio eſſe fatebatur, vt qui ſibi ob aliquam beneficentiam deberent, eos plus diligeret, quâm alios, quibus debere ſe aliquid ipſe putaret.

CL.

Beneficia quomodo petere à principibus debeant clientes.

Igitur magis tempeſtiuè repetendum eſt beneficium à Principe, quàm petendum. [*Seneca.*] adhibenda verborum

borum moderatio, vt nec commemorare aut exprobrari beneficium videaris, & ne ingratus poſſit diſſimulare. Tacendum & exſpectandũ, aut indicandum quid rerum noſtrarum ſtatus poſcat. Thetis quoque illa Homerica ſua beneficia liberè non commemorat, ne inuidioſum hoc eſſet & moleſtum patri Ioui, cui ſupplicabat: ſed per obliquum & dubitatiuè tantùm ea attingit. [*Homer. Il. α*]

CLI.

Ratio præcedentium præceptorum.

Nimirũ magnanimi viri libenter meminiſſe ſolent, quos beneficio affecerint, à quibus autem acceperint, non item. [*Ariſtot. in Eth.*] Eſt enim is, qui beneficium accepit eo, qui dedit, inferior. Igitur cùm Principes excellere tantùm velint, propterea illa quidem libentiſſimè, hæc autem oppidò quàm

legimus virtutum admiratione & Maieſtate ad regni gubernacula admotos, quàm Amore. Quod adeò verum eſt, vt Pericles, Agathocles, Pompeius, M. Liuius, & alij, licet totius Ciuitatis odio prauiter premerentur, in rep. defendenda quamuis acceptiſſimis populo antepoſiti fuerint. ita *ſemper in maximis difficultatibus maior ratio auctoritatis quàm Amoris fuit*. Princeps igitur de retinenda Maieſtate, quàm Amore conſeruando, magis ſollicitus eſſe debet.

CLIII.

Quatenus liberalis Princeps eſſe debeat.

In Liberalitate tria cumprimis obſeruanda ſunt, primò, vt dignis & pro merito cuiuſque largiaris. Deindè, vt parcè. Poſtremò vt ne omnia vnà ſemel. Primò quod de merito monui niſi id obſerues, non ſolùm

& diligentia ſenſim aliquantum remittat, & omnes occaſiones captet aliò concedendi. *Scilicet vt ab exigua ſed conſtanti pluuia, quam Græci ψεκὰν appellant, terra magis quàm præcipiti nimbo irrigatur:* Ita, *Liberalitas moderata multò maiores beniuolentiæ & amoris ſtimulos in pectoribus hominum, quàm effuſiſſima illa prodigalitas relinquit.*

CLIV.

Magna indoles non ſine vitijs. Igitur non ſtatim pro deploratâ habenda.

Nihil præſtantes & excelſæ naturæ exiguum aut moderatum ferunt, nec ob acumen, vehementia atque feruor earum ociofus eſſe poteſt, ſed quaſi æſtu & fluctuum procellis huc illuc iactantur, donec mores ſtabiles & compoſitos ſibi aſciſcant. [*Plutarch.*] Sic præſtantiſſimi illi viri, Miltiades tyrannidem in Cherſoneſo

arripuit, Cimon cum ſorore concubuit, Themiſtocles laſciuè comeſſando, petulanterque per forum bacchando dies noctesq; iunxit: Scipio Africanus, in quo ſe virtus per omnes numeros efficaciter tandem præreptis prius & diſiectis nequitiæ, quâ obſidebatur, clauſtris, oſtendit, iuuentutis aliquam partem in ganeâ iugulauit: Attamen niſi illi fuiſſent, nónne Græcis Marathon, Eurymedon, Dianium, Romanis Africa, imò ipſa Italia perijſſet? Sicut ergò rudis aliquis agriculturæ, nullo modo agrum probat, quem videt denſo obſitum fruteto, agreſtibus ſtirpibus, & multis riuis lutoq; repletum: Perito autem & iudicandi gnaro hæc ipſa virtutem fertilitatemque agri demonſtrant. Sic cùm multa inepta & praua magnæ excellentesque naturæ initiò foràs promunt: pauci feruorem & aculeos eorum exiſtumant

ferendos

ferendos eſſe, ſed excindendos opprimendosq; in prima ſua herba: verùm qui prudentius de naturis eiuſcemodi iudicant, ij tempus & maturitatem ætatis præſtolantur, quæ rationi & natiuæ illi virtuti ſuppetias ferat, quo perfectiores indoles ab ſe Bona fructus poſſit proferre. [*Plut. de his qui ſer. à num. pun.*

CLV.

Ingeniorum diſcrimina perſpicere ſuprà hominem eſt.

Qui humanæ ſapientiæ opus putant eſſe, perſpicere ingeniorum ſimilitudines & diſcrimina, priuſquã ab animorum motibus in magna flagitia erumpentibus detegãtur, [*Plutarch.*] vehementer errant, mea opinione. Vrſorum ſane catuli, luporumque ac ſimiarum ſtatim ſuam oſtendunt indolem, nulla velatam aut oblitam re. Humanum verò inge-

nimium in mores, opiniones, leges ſe conijciens, ſæpenumerò vitijs occultatis bona imitatur, vt aut omninò tandem eluat innatam vitij maculam, aut verſutia tanquam exuuio quodam tectum longo tempore deliteſcat ac nos fallat, donec morſu aliquo flagitiorum, velut icti ab ijs, nequitiam eorum ſubodoramur. Imò ea eſt cæcitas noſtra, vt tũ demum iniuſtos malóſue fieri homines putemus, cùm iniuria nos afficiunt, intemperantes cùm libidinem exercent, timidos cùm fugiunt, æquè abſurdè, ac ſi quis opinetur ſcorpijs ſtimulum innaſci, quando pungunt, viperis venenum, quando mordent. Quæ quidẽ ſtulta eſt opinio. Non enim ſimul & fit malus aliquis, & malus eſſe cernitur. Sed iam indè ab initio præditus prauitate occaſionẽ facultatemq; nactus furatur fur, leges violat tyrannicæ indolis homo.

CLVI.

CLVI.

Arcana Pr[illegible]*um indagare perim.*

Quemadmodum ij qui aconiti naturam guſtando ſcrutari volunt, prius mortem oppetunt, quàm ſentiant ſaporem. [*Plut. de Curioſitate.*] Ita qui principum ſecreta rimantur, ſæpè prius ſeipſos peſſundant, quàm cognouerint, quod quærebant, vt & hos, qui non contenti copioſiſſimo & vndiquaque circumfuſo ſplendore Solis, ipſum eius orbem liberè intueri, introq; penitrare ſuo viſu conantur, luminibus capi videmus. Ideò *præclarè Philippides poëta Comicus, cùm ei Lyſimachus quodam tempore obtuliſſet, Ecquanam re impertiri à ſe vellet, modò ne vllo arcano, reſpondit.* [*Plut. in Philip.*] Quæ enim ſuauiſſima & pulcerrima habent reges, ea conſpectui ſunt expoſita, cœnæ, opes, feſtiuita-

tes, beneficia. Si verò arcani quidpiam eſt, caue acceſſeris & noueris, non occultatur re[illegible]ère ſecunda gaudium, non triſ[illegible]tis, non beneficiorum appara[illegible]s, terribile eſt, quod celatur; tetricum, riſu, ſcitu & acceſſu periculoſum. Iræ, puta, alicuius latentis reſeruatio, aut ſupplicij atrocis meditatio, aut riualitas aduerſus vxorem, aut ſiniſtra de filio ſuſpicio, aut diffidentia de amico. *Fuge quiſquis es, fuge atram illam & ſe condenſantem nubem.* non latebit te id, quod nunc occultatur, vbi cum tonitru & fulgure eruperit. *Quomodo ergò fugiam, requiris? Curioſitatem auellendo, & auertendo occaſiones ſecretorum, maximè animo ad leniora & iucundiora traducto.*

CLVII.

Magnæ difficultatis liberam Rempub. oppugnare

Magnæ

Magnæ difficultatis res eſt, liberæ ciuitati etiam mediocriter potenti bellum inferre, niſi aut ſeditione plebeia, aut optimatum factionibus, aut alio denique inteſtino malo ea laboret. Tantus enim libertatis amor & ſtudium eſt, vt eius propugnatores facilius ſit Ciuitate quàm Imperio, vita quàm libertate priuare. Hinc illæ Athenæ, nequidquam à Xerxe bis incenſæ, capta à Gallis Roma, Carthago à Romanis fruſtrà ſpoliata. vt haud abſurdè Pyrrhus dixerit, Planè Herculis ſidere ſe procreatũ eſſe, cui quaſi ab angue Lernæo tot cæſa hoſtium capita de ſanguine ſuo renaſcerentur. [*Lucius Annæus.*] Quin imò *vt maximè mortiferi eſſe morſus ſolent morientium beſtiarum, ſic plus negotij eſt, etiam cum ſemirutâ Reipub. libertate. quàm prævalidis & integris viribus regum, populorumq; ſeruituti ſuetorum.* Atque vtinam hoc Reges & Principes

quidam diligentiùs olim & nunc, cũ hæc ſcribo, conſideraſſent. non illi tàm temerè bella aduerſum potentiſſimas ciuitates ſuſcepiſſent, quæ poſteà nullo cum effectu, magna etiam cum ignominia reliquerunt.

CLVIII.

Cum Sacerdotibus belligerare infelix ſemper à prudentioribus habitum.

Si meo arbitratu principis res agantur, nunquam ei autor vel approbator exiſtam, Sacerdotes eorumq́; poſſeſſiones oppugnandi. Raro enim fit, vt in tali fortuna non inſigni aliquo ſcelere ſe polluant homines, licet iuſtas belli cauſas habere videantur. Et verò euoluat mihi aliquis omnium ætatum temporumq́ue hiſtorias, quid niſi maximorum ſumtuum, validiſſimorum exercituum iacturas in talibus bellis reperiet? Sic

Syriæ

Syriȩ reges oppugnandis Iudæis, Mediolani Duces, & Reges Neapolitani Romanis Pontificibus vlciſcendis, omnes regni vires fruſtrà conſumſerunt. Breuiter, *ſtolidus eſt quisquis exiſtumet, humanâ ope Sacerdotum opes perdeleri poſſe.*

CLIX

In ſumma pace de bello maximè cogitandum.

Vt in medio bello de pace maximè cogitandum eſt, ſic etiam in ſumma pace & tranquillitate regni, arma arteſque bellicæ ſunt tractandæ. Nam cùm duo ſint genera decertandi, vnum in pace per diſceptationem, alterum per vim in bello. [*Cic. 1. Off.*] confugiendum eſt ad poſterius, ſi nō liceat vti priore. Huc accedit, quod *haud quisquam facilè prouocare audet, aut facere iniuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum atq; promtum*

ad vin-

ad vindicandum eſſe [Veget. lib. 2. in prol.] Igitur quo magis pacem deſideramus, hoc diligentius in belli apparatus ſimus intenti.

CLX.

In pace facienda inſidiæ quomodo caueantur.

Oportet eos, qui rebus publicis præſunt, nihil magis curare, quàm vtne eos lateat, quo animo ſint, qui aut bella finiunt, aut amicitias conſtituunt, [*Polyb. lib. 2.*] quando temporibus cedentes, & quando reuera animis fracti pacem petant, vt illos quidem tanquam ſubſeſſores & inſidiatores temporum obſeruent ac caueant, iſtis autem fidentes tanquam verè ſubditis aut amicis in rebus omnibus vtantur.

CLXI.

Viri magni in Conuitia fortes.

Valdè

Valde conuenit viris magnis, in aliqua dignitate collocatis, vt placidi tranquillique ſint, & iniurias atque offenſas ſupernè deſpiciant, nec procliues in verborum conuitiorumque certamen deſcendant. Siquidem *ea natura eſt obtrectationis, vt quo moleſtius audiatur, hoc magis agnita videatur, ſpreta autem exoleſcat.* [*Tacit.*] Hinc Auguſtum Imp. Philippum Macedonum, Antigonum, ſemper contemtores hominum maledicorum legimus. Et Iul Cæſarem in Conſulatu ſuo à M. Tullio crebris dicterijs conuitijsq; impetitum, quamuis ægerrimè ferret, tamen nec re nec verbis cōtumeliam retuliſſe. [*Dio in Iul. Cæſ.*] quod diceret. *Multos eſſe, qui dedita opera meliores crebris ac varijs dictis proſcinderent, vt eos ad contentionem irritarent, & ſic eiuſmodi regerentes opprobria ipſorum ſimiles haberentur.*

CLXII.

Ad maieſtatem comparandam.

Ad maieſtatem principis magnum momentum confert, cùm domi foriſq; magnificè ſeſe & luxurioſa quadam grauitate oſtentat, ignorantibus interim alijs, quantæ eius opes & diuitiæ ſient. Quæ cuncta maiora vulgò exiſtumantur, quo ſunt occultiora. Alfonſus 1. Arragoniæ Rex hac arte tantam exiſtumationem ſibi peperit, vt omnes in ſua memoria reges fama & dignitate anteuenerit. [*Æneas Syluius.*]

CLXIII.

Prouidentia in rebus humanis.

Eludant licet, quibus fortè ac temerè humana negotia volui agique perſuaſum eſt: equidem æterna conſtitutione crediderim, nexuque cauſarum latentium & multò antè deſtinata-

ſtinatarum, ſuum quæque ordinem immutabili lege percurrere. [*Q. Curt. lib. 5.*]

CLXIV.

Ab aliorum conſilio toti pendere Principes ne videantur.

Omnibus modis opinionem eam eximere hominibus debent Principes, quaſi ab aliorum conſilijs pendeant, ſed ſimulare cuncta pro ſuo arbitrio præcipi & agi. Aliter neceſſe eſt & participes Imperij plures fieri, & eò amplius diminuta maieſtate in contemtum finitimorum Principum ſubditorumque eos peruenire. Ioannes Galeacius Mediolani dux, quũ omnia patruũ ſuum Ludouicum gubernare pateretur, principatu ſimul & vita ſpoliatus ab eo fuit. [*Quicciard.*] Tiberius cùm omnia ex Seiani conſilio ageret, in tantum contemtum populi deuenit, vt tantùm non Imperio

Imperio excluderetur. [*Tacit. & Dio in Tiberio.*]

CLXV.

Meticuloſi feliciores.

Qui meticuloſè & nõ niſi diligentiſſimè excuſſo conſilio aliquid agũt, ij ferè rebus ſuis melius proſpiciunt, & ſæpius vincunt, quàm illi qui faſtuoſè & ſuperbè progrediuntur. Exemplum in Ludouico XI. Galliarum rege, & Carolo duce Burgundionum longè bellicoſiſſimo habemus. quorum ille vt lentus & timidior paulò erat in deliberationibus, ita quoq; ſimul atq; conſtituit aliquid, ſic vndique ſe communiebat, vt vix vnquam falleretur, aut expectatione ſua caderet. [*Philipp. Commin.*] Hic quòd repudiatis aliorum conſilijs pro ſuo vnius arbitrio omnia cum quodam impetu agebat, in vitæ diſcrimen adductus, & occiſus grauiſſimum vulnus populo ſuo inflixit.

CLXVI.

Aduerſum prælium.

Prælio dimicare, niſi multis nominibus ſuperior ſis hoſtibus, ſanè res eſt periculi pleniſſima, propter incertum euentum. Nam vt modica ſaltem accepta ſit clades, fieri tamen non poteſt, quin rerum conuerſio fiat, partim metu hoſtium, partim contemtione & deſpectu illius, qui infeliciter pugnauit. [*Commin. lib. 4. & 5.*] Oritur fremitus & indignatio militum, qui poſteà magnis iacturis conciliandi ſunt. Contrà autem qui victoriam adeptus eſt, authoritatem ſuam amplificat, & facilè quiduis impetrat, & militem habet ad quæuis obſequentiorem. Annibal Imperator omnium maximus, vno prælio ad Cannas proſperè facto, totam penè Italiam in ditionem ſuam redegit: [*Plut. in Annibale.*] Idem ſuperatus

peratus à Scipione, non ea ſolùm quæ decem & octo continuis annis obtinuerat, ſed hoc amplius, ipſam Siciliam, atque Hiſpaniã miſit. *Stat igitur ſapientiſſimum illud, collatis ſignis, niſi ſumma neceſſitudo, aut ſumma occaſio data ſit, nunquam decertandũ eſſe.* [*Sempronius apud Gellium lib. 13. cap. 3.*]

CLXVII.

Prælio ſecundo vel aduerſo facto quid agendum.

Optimum eſt, vt qui prælium aduerſum fecit, contineat ſe, quantum fieri poteſt, intrà ſuas munitiones, & experiatur, ſi qua ratione non difficili poſſit recuperare amiſſam gloriam, vt ſ[illegible]is animum addat, & eos liberet à concepto metu. Qui verò egregia victoria potitus eſt, ſingulari quadam temperantia & moderatione eget, ne proſpero fortunæ curſu fiat inſolentior, & ea deindè conſilia ſe-

lia ſequatur, quæ ad præcipitium deducunt, id quod non paucis florentiſſimis viris accidiſſe conſtat. [*Commin. d. l.*]

CLXVIII.

Principes quomodo liberis ſuis vacuum ab ambitione regnum relinquant.

Antigonus, dubium prudentior anne iuſtior Rex Macedonum, cum optimè, quamdiu vixit, de filio ſuo Philippo, totoque regno Macedoniæ meritus eſſet, vtriſque ſaluberrimo conſilio etiam iamiam moriturus prouidit. [*Polyb.*] quippè enim teſtamentum reliquit, in quo iniunxit omnibus, quid quiſque poſt mortem ſuam facere, cuius rei curam habere, regnante filio, deberet. Idque eò, vti omnes ambitionis ac diſcordiarum cauſas, quæ in aulis principum nouitiorum oriri ſolent, è medio

dio tolleret. Cùm ex ijs quos ſecum habebat, alium filio tutorem reliquiſſet, alium militibus, hunc item ſcribis, alium deniq; alijs officijs præfeciſſet.

CLXIX.

Bonis conſilijs regna ſtare.

Ego ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes, vſq; eò proſperum Imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt, [*Salluſt. ad Caſ.*] vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, pòſt paulò imminutæ opes, deindè ademptum Imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt.

CLXX.

Modeſtia apud magnos rariſſima.

Rarum & difficile prorſus eſt, in alto poſitum alta non ſapere, & cogitare, *adeò enim commune humanæ fragilitatis*

gilitatis malum contemtor ille animus eſt & ſuperbia, vt nihil tàm ſtolidum, tàm leue atq; inane ſit, quod non illicò ſeſe in ſecunda fortuna ſuprà ceteros extollat. Huius rei innumera cottidiè exempla in aulis principum obueniunt. Scilicet vt non quæuis natura vinum meracius fert, ita pauci reperiuntur, qui abundantem fortunam concoquere poſſunt.

CLXXI.

Quæſtoribus rapacibus cur vtantur Principes.

Veſpaſianum Imp. aiunt, rapaciſſimum quenq; procuratorem ad ampliora officia de induſtria promouiſſe, quo locupletiores mox condemnaret, quibus vulgò pro ſpongijs dicebatur vti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. [*Dio & Suetonius in Veſpaſiano.*]

CLXXII.

Aulicorum ſtulta ſuperbia.

Tantâ fuit Lampadius Imperatoris Conſtantij Præfectus ſuperbiâ, vt ægrè moleſteque admodum ferret, ſi non, etiam cum ſpueret, laudaretur, veluti id quoq; præter cæteros prudenter faceret & decorè. [*Ammianus Marcellinus.*] Huius imitatores & ſæquaces multos habent aulæ principum, quorum tàm ſtulta ſuperbia, an ſuperba ſtultitia eſt, vt arrogantiſsimè omnia externa atque ignota ſeſe callere putent, eaque cupiant à ſummis pariter atq; infimis dilaudari.

CLXXIII.

Difficile in peregrinos Imperium.

Vix vlla eſt natio, quæ diu peregrinum imperium ferat, niſi ſingulari quapiam dexteritate, aut firmiſſimis præſidijs in officio cohibeantur.

tur.

tur. [*Comminæus.*] Galli aliquando Siciliam & Neapolim. Galliæ autem maximam partem olim Angli poſſederunt, vtrique tamen omnibus illis ditionibus ſunt exuti, vt vix veſtigia aliqua eorum ibi reperiantur. Nimirum, vt externus princeps rem benè & commodè gubernet, tamen quia moribus & ingenio plurimùm differt, nec eam ergà populum repræſentare beneuolentiam & comitatem poteſt, ac ſi eſſet indigena, faciles oriuntur diſſenſionum occaſiones: quibus vt obuiam eat, & ſe fortunasque ſuas tueatur, aliundè militem & copias adducat neceſſe eſt qui deindè collocupletati atq; aucti honoribus odio & inuidia multitudinis vehementiſſimè laborant. quâ, ſi aliquando occaſio eius fiat, haud difficulter opprimuntur. Sic cùm nihil minus quàm tale facinus metueret Quintilius Varus, cum tribus fortiſ-

ſimis legionibus duce Ariminio à Germanis deletus eſt [*Suet. & Dio in Auguſto.*] Quocircà qui externæ alicuius gentis imperium ſuſcipit, niſi magna quadam & eximia ſit prædi-tus dexteritate, multis haud dubiè & grauiſſimis difficultatibus implicatur.

CLXXIIII.

Æmulis cedendum potius quàm reſiſtendum.

Qui ad honores & celſiores dignitarũ gradus conſcendere volunt, ij, ſi æmulos forteàn potentiores inueniant, cedere ad tempus aliquod debent, donec ſplendor eorum paulatim hebeſcat, & ipſa ſatietate auctoritas illorum extenuetur. [*Dio in Auguſto.*] M. Agrippa D. Auguſto cariſſimus, tamen cùm M. Marcellum ad munera publica admotum videret, Mitylenas conceſſit, ne aut ob-

ſtare

ſtare aut obtrectare aliquid præſens videretur. Tiberius, adultis iam Augusti liberis, loco & quaſi poſſeſſione vſurpati à ſe diu ſecundi ab Imperatore gradus ſpontè ceſſit. quibus vtriſque, Caio & Lucio defunctis, ipſe Romam & Imperium repetiuit.

CLXXV.

In principibus cur magis conſpicua potentia DEI, quàm cæteris mortalium.

Manifeſtum eſt, in Principibus magis perſpicuam, & illuſtriorem DEI potentiam eſſe, quàm in hominibus priuatis atque plebeis. [*Philippus Comminæus.*] Hi enim cùm multis opportuni ſint iniurijs, & nonnunquam præter ius & æquum vel prædæ faciendæ cauſa, vel culpâ & errore Iudicis aliorumq; multentur, dubitari aliquando poteſt, iniuriâne hominũ an à DEI ira, pœna illa pro-

ficiſcatur. Cæterùm cùm Principes eorumq́; familiares aut integræ ſæpè ciuitates delinquunt, quis ea de re quæſtionem habet? & habita quæſtione, quis ad iudicem defert? quis Iudicis perſonam ſibi ſumit? denique quis pœnam conſtituit? niſi DEVS? qui magnitudine ſcelerum eorũ offenſus, præſentibus pœnis eos verberat ita quidem euidenter & clarè, vt dubitari non poſſit ipſum eſſe iuſtiſſimum impietatis noſtræ vltorem. Cuius rei in multis Hebræorũ Chriſtianorumque regibus atque Imperatoribus ſignificantiſſima exempla habemus. vt in Saule, Manaſſe, Nerone, Iuliano, Herode, Antiocho, & alijs innumerabilibus.

CLXXVI.

Res magni momenti ambitioſis & ferocibus non committenda.

Etſi ipſa nos ratio doceat, magna negotia

negotia magnis adiutoribus egere. nunquam tamen; ſponte mea, auctor ſim Principibus & Rebuspub. vt ijs hominibus ad gubernandam defendendamque fortunam ſuam vtantur, quorum animus vaſtus, ferox, ſubdolus & ambitioſus eſt. Verè enim hi nouandis quàm gerendis rebus aptiores ſunt; aut vbi præclarum aliquod facinus in re militari ciuiliq; fecère, contemtor ille ſpiritus amentia & ſtoliditate completus, ſecunda ſe aura ſuſtollit, nec patitur eódem apud ſe loci modeſtiam & potentiam eſſe. Sed vbi ſe clientelis præſidijsque amicorum ſatis munitum conſpicit, palàm iam inſurgit in ſalutis ſuæ auctorem, aut quiduis, prout collibitū eſt, exprimere ab eo conatur. [*Mæcenas ad Auguſt. apud Dion. lib. 52.*

CLXXVII.

Miſeria Prudentiæ mater.

Nunquam pro prudentiſſimis ſunt habendi ij, quorum res proſperæ ac prolixæ ſemper nullo aduerſantis fortunæ flabro ſunt læſæ. non facilè enim aduerſa caſuũ cum animo ſuo reputat, aut veretur, quem anteà nunquam fortuna decepit. Olim Mithridate, patrum noſtrorum memoriâ, Ludouico XI. Gallorum rege nil prudentius, nil callidius aut perſpicax magis fuit. quorum ille ad tantam magnitudinem ſe evexit, vt non ſui tantùm temporis, verùm etiam ſuperioris ætatis omnes reges maieſtate & conſilio rerum gerendarum ſuperauerit; bellaque cùm Romanis per XLVI. annos ſtrenuiſsimè geſſerit. Adeò quidem vt ſæpiùs victus maior clariorque reſurgeret in reſtaurando prælio, damnisq; ſuis terribilior redderetur. [*Iuſtinus.*] Idem Ludouic. XI. aduerſum hoſtes, quos habuit potentiſſimos, præſtitit feliciſſimè.

ciſſimè. at vtrique tantum pruden-tiæ fortunæ inclementia ſubmini-ſtrauit. Cùm primis ſtatim pueritiæ annis exules & abiecti varia ſorte ex-erciti eſſent, quæ res mirabilter eos ad cautionem & modeſtiā inſtruxit. [*Comminæus.*] *Nimium vt athleta ma-gnos ſpiritus ad certamen adferre non po-teſt, qui nunquā ſugillatus eſt. Sed ille qui fudit ſanguinem ſuum, cuius dentes cre-puerunt ſub pugno, qui ſupplantatus, ad-uerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animū proiectus, qui quoties cecidit, con-tumacior reſurrexit: is demum intrepidus & cum magna ſpe ad pugnam deſcendit: Ita qui aduerſa fortuna proſtrati, non ta-men ſe tradiderunt, hi per conſtantiam & prudentiam ipſas neceſſitates calcare poſ-ſunt.* [*Seneca Ep. 19.*]

CLXXVIII.

Principes præmia, adminiſtri pœnas exſequantur.

Cùm ferè ſemper ijs, qui benignitate ac clementiâ imperium temperant, candida & læta apud ſubditos eueniant, cæterùm nonnunquam ſalutis cauſa ſeueritas adhibenda ſit, prudens princeps omnia præmia ipſe inter merentes obibit, pœnas autem & ſupplicia per adminiſtros exſequetur. [*Xenophon in Hierone*] tanquã inuitus & magno cum tormento ad caſtigandum deſcendat. aliàs enim etiam aduerſus ſontes, & extrema exempla meritos, Miſeratio tamen apud vulgum orietur, tanquam non vtilitate publica ſed in vnius Principis ſæuitiam abſumantur. Sciuit hoc Nero, qui Imperij ſui initio, cùm damnati cuiusdam ſupplicium ſubſcriptione ſua iuberetur probare, vocem hanc cum ſuſpirio quodam emiſit: vah, quam nunc vellem literas neſcire! [*Suet. in Nerone.*] quo dicto, incredibile dictu, quantoperè

ſe po-

ſe populo Rom. ſpe Clementiæ commendârit.

CLXXIX.

Legati amicorum quomodo excipiendi.

Magna opus eſt dexteritate in tractandis exterorũ legatis. quippè ſub quorum ſpecie multa ſæpè pernicioſa tractantur. [*Comminæus.*] meo itaque iudicio, amicorũ legati, de quibus nullam habemus malè ſuſpicandi cauſam, liberaliter ſunt & honeſtè tractandi, facta ſubinde illis poteſtate conueniendi principis, ad quem ſunt miſſi, modò ſit prudens & honeſta ſpecie. nam alioquin præſtat, eum vel rariùs conſpici, vel non diu inſiſtere collocutioni. Ad quam quũ deſcendit, prouideri debet, vt ſit eleganter veſtitus, & de ijs quæ pronunciari & reſponderi oportet, edoctus, & mox à congreſſu reuocetur.

Nec enim diuturna principum beneuolentia ſolet eſſe.

CLXX.

Hoſtium legati quomodo habendi.

Quum autem vel publici vel priuati veniunt ab aliquo principe parum amico, tametſi periculum eſt in ea re non leue, [*Id. ib.*] excipiendi tamen ſunt non incommodè, & deſtinandi aliquot idonei homines, à quibus tractentur. Hoc enim ad honeſtatem pertinet, ac ſimul eò confert, vt quid agant, & quibuscum loquantur, & quos habeant ſibi familiares cognoſcatur, nec id modò, verùm etiam, vt homines leues & ſeditioſi non habeant ad ipſos aditum. in omnibus enim principum familijs ſemper aliqui exiſtunt, qui mutationem & res nouas affectant. Poſtremò *quoniã periculi plenum eſt, domi ſuæ habere*

habere hoſtem, primo quoq; tempore eiuſmodi legati ſunt dimittendi, verùm ita tamen, ne quam occaſionem habent de inhoſpitalitate conquerendi.

CLXXXI.

Spes hominum pertinax.

Communi omnium mortalium imbecillitate fit, vt ea, quæ cupimus, auidè etiam ſperemus, & res futuras, quarum tamen exitus incertus atq; anceps eſt, certiores melioresq; iudicemus, quàm quæ certa iam & noſtra in manu exiſtunt: Quæ autem non cupimus, ea etiam minimè futura credamus, ſed praua rationis pertinaciâ reſpuamus. [Thucyd. lib. 4. p. 387. lib. 5. p. 489.]

CLXXXII.

Legum mutatio in vniuerſum periculoſa.

Interitus plurimarum Rerump. me mouet, vt exiſtumem, Ciuita-

tem, quæ malis quidem, ſed tamen immotis ac perpetuò firmis legibus vtitur, præſtantiorem eſſe illa, quæ bonis quidem legibus vtitur, ſed tamen mobilibus ac inconſtantibus. [*Thucyd. lib. 6.*] Cùm enim lex nullam vim habeat ad parendũ impellentem, niſi quam à more & temporis diuturnitate accepit, à legibus receptis atque vſitatis ad nouas alias deflectere, cæterarum quoq; auctoritatem dubiam facere eſt, vimque earum debilitare, *neq; enim facilè & ſine magno motu mutari poteſt, quod longo tempore radices egit.* [*Ariſt. pol. lib. 5.*] Quod vel in vnica lege agraria conſiderare apud Liuium licet, quæ, parum abfuit, quin omnem Rempub. Rom. peruerterit. Locrenſes igitur iure laudandi, apud quos hæc conſuetudo inualuit, vt omnibus ciuibus, quicunque nouam legem perferre conarentur, laqueum collo induerint,

duerint, & ſiquidem res quam ſuaderet, ſalutaris populo viſa eſſet, auctum donis & muneribus dimiſerint, ſin diſplicuiſſet, colligato fune gulam ei eliſerint. ne ſcilicet conſueſcerent ciues nouas ſubindè leges populo perſuadere. [*V. Dion. lib. 52. in orat. Auguſti ad Senatum Rom.*]

CLXXXIII.

Modeſta imperitia, ambitioſâ peritiâ potior & vtilior eſt.

Ciuium imperitia cum modeſtia coniuncta, Rebuspub. ſemper vtilior exſtitit, quam prudentia cum immodeſtâ ambitione coniuncta. [*Thucyd.*] Vnde & homines imperitos vidimus, videmus, videbimus, ſi cum peritioribus illis conferantur, Reſpub plerumq; meliùs & feliciùs adminiſtrare. Nam dũ iſti ſuprà cæterorum prudentiam & intellectum ſapere aliquid & in publicis cõſultationibus ſemper ſenten-

tiam

tiam ſuam obtinere volunt, quaſi in alijs maioribus rebus ingenij ſui vim & acumen oſtentare nequeant, importuna ſua ambitione Reſpub. plerumque euertunt. Hi verò dum ſuæ peritiæ diffidunt, nec pertinaciter nimis opinionem ſuam propugnant, respubl. vt plurimum rectè adminiſtrant: quia rerum & conſiliorum æqui æſtimatores quàm concertatores malunt eſſe. Sic olim Spartanos præ Athenienſibus, hodiè Venetos præ Florentinis diuturnius & felicius Imperium direxiſſe videmus.

CLXXXIV.

Peritia in Belli Duce magis ſpectanda, quàm virtus & modeſtia.

In belli autem Duce, maior aſpectûs habendus eſt peritiæ militaris, quàm virtutis & morum. [*Ariſt. Pol. lib. 5. c. 9.*] *vt enim in morbo aut corporis inualetudine non medici probitatem aut*

aut mores bonos, ſed artis potius ſcientiam excellentem deſideramus; Ita *belli temporibus, non probitatem aut modeſtiam, ſed peritiam belli adminiſtrandi requirere debemus*. Multum enim inter ſe differunt pacis atque belli artes, nec continuò vir bonus, bonus quoque miles eſt dicendus. Cæterùm quid cauſæ ſit; cur non ſub bono Imperatore, licet homine improbo, ſalui potius velimus eſſe, quàm ſub viro bono & temperante, malo autem duce perire? quod olim ſignificare C. Fabricius voluit, qui cùm P. Cornelium hominem auarum & furacem, ſed egregiè fortem ac bonum Imperatorem, ſuo ſuffragio Coſ. feciſſet, atque illi Cornelius ex more gratias ageret, quòd immemor ſimulatis ipſum feciſſet Conſulem, bello præſertim magno & graui, Nihil eſt, inquit, quòd mihi gratias agas, ſi malui compilari quàm venire. Innuens etiam impro-

improbiſſimi hominis dexteritate ſaluum eſſe, quàm in hoſtium poteſtatẽ venire ſe malle. & hoc eſt, quod Seneca voluit, dum dixit, *Non poſſe quenquam eodem tempore, & bonum virum, & bonum ducem agere* [*Lib. 4. de benef c. 37.*]

CLXXXV.

Nimia ſubmiſſio contemtum parit.

Hoc naturâ comparatum eſt, vt ab illis contemnamur, quos nimiũ ſubmiſsè colimus & obſeruamus, ab illis autem colamur, quos aut contemnimus ipſi, aut leuiore certè honore afficimus [*Thucyd. lib. 5.*]

CLXXXVI.

Inuidia duplici viâ euitanda.

Rectè conſulit ſibi, qui maximarum rerum aut præclaræ famæ gratia inuidiam ſuſcipit. *Odium* enim *propter virtutem alterius natum diu non durat.*

rat. ſed aut præſentis ſplendore atq́ potentia & amplitudine rei patratæ ſupprimitur, aut ſobrio moderatoq́, vſu fortunæ lenitur. Rarò enim perſonæ, ſed bonis, quæ circumſtant homines, inuidetur. quippe externa bona extra hominem ſunt, at inſolenter vtendi vitium intra hominem eſt: qui eo ſibi inuidiam conflant, verè ſunt inuidioſi. [*Plutarch.*]

CLXXXVII.

Mala ut ferenda.

Mala quæ diuinitùs accidunt, neceſſariò, quæ ab hoſtibus, fortiter ſunt ferenda. [*Thucyd.*]

CLXXXVIII.

Prudentia publica.

Qui paribus quidem non cedunt, ergà ſuperiores verò rectè ſe gerunt, ijsque cedunt, & inferioribus ſe moderatos præbent, ij diutiſſimè ſtare, & rem

& rem feliciſſimè gerere poſſunt.

CLXXXIX.

Benefacta benefactis occupanda.

Præceptum hoc omnibus hominibus inculco, Honeſtas actiones honeſtis ſubindè actionibus occupandas eſſe: & benefacta benefactis cumulanda, ne ſi deſinant, priorum actionum & benefactorũ memoria ex animis hominum effluat.

CXC.

Metu pœnarum multæ ſeditiones conflantur.

Qui priuatim aliquid metuunt, atque formidant, (dum aut iniuriam fecêre alijs, aut imminentem exſpectant) imminentium periculorũ remedium hoc vnũ habent, vt Rempub. in magno periculo & timore conſtituant, *& priuata vulnera reipubl. malis operiant.* [*Thucyd. lib. 6. p. 525.*] *quippè*

quippè ita ſe res habet, vt publicâ ruinâ quiſq; malit, quàm ſuâ proteri, vt idem paſſurus, minus conſpiciatur. [*Ariſtot. 5. pol. c. 3.*]

CXCI.

Effrænatio mortalium animorum.

Fieri non poteſt & magnæ eſt ſtultitiæ, ſi quis exiſtumet, ſe aliquam rationem habere, qua homines à peccatis deterreat, aut legum vi, aut aliquo alio grauioris mali metu, cum humana natura ad aliquid agendum ac ad peccandum magno ſtudio magnoque impetu fertur.

CXCII.

Paupertatis & opulentiæ effecta.

Paupertas audacium neceſſitati opes verò & diuitiæ, petulantiam, ſuperbiam, violentiam, cum perpetua pluris habendi cupiditate coniunctã gignunt.

CXCIII.

CXCIII.

Præmiorum vis.

In vniuerſum hoc verum eſt, apud quos homines maxima virtutis præmia proponuntur, in horum etiam ciuitate viros longè præſtantiſſimos ſubindè gigni: contrà vbi emolumentum ac honos non ſperatur, eò laborem & pericula haud temerè impendi. [*Thucyd. lib. 2.*]

CXCIV.

Principes Ciuitatum belli tempeſtate criminationibus obnoxij.

Principes Ciuitatum, belli tempeſtate, propter varias clades, quas bella ciuitatibus afferunt, varijs ſuorum ciuium calumniis & obtrectationibus ſemper ſunt obnoxij, nec fieri poteſt, quin tandem populari dementia aut ad mortem, aut in exſilium

lium cogantur. [*Thucyd. lib. 5.*] Sic Miltiades, Ariſtides, Themiſtocles, Phocion & Pericles, qui tàm præclaras, tamq; vtiles actiones edidêre, vt ſi ijs modeſtè vti ſciuiſſent Athenienſes, ſempiternum habituri fuerint imperium, alij magiſtratu & dignitate, exſilio item aut morte ſunt multati. Carthaginenſes Annibalem, qui pro illorum incolumitate & victoria tot Imperatores totq; exercitus Rom. trucidauerat, quot gregarios milites hoſtium ſi occidiſſet, magnæ gloriæ foret, præ impatientia diuturnioris belli vita priuare animũ induxerunt.

CXCV.

Fraus quàm vis turpior.

Illis, qui amplâ dignitate ſunt præditi, longè turpius & inhoneſtius eſt, fraude & ſpecioſa in præſens deceptione Imperium & domeſticas res

amplifi-

amplificare, quàm vi aperta [*Thucyd.*] Nam vis quidem iure potentiæ, quam fortuna dedit, infertur, (*natura enim neceſſitate imbecillior à potentiore coërcetur.*) *Fraus verò ab inſidijs iniuſti animi graſſatur. quod per ſe occultum & inſidioſum malum, vbi ex latebris ſuis extrahitur, tantum incommodi humano generi affert, quantum ſalutis bona fides præſtat.* [*Valer. Max.*]

CXCVI.

Parendi quàm Imperandi ſtudium vituperabilius.

Maiorem veniæ locum ijs dandũ cenſeo, qui prouidè, modeſtè & cæteris bonis artibus Imperium affectant in alios, quàm ijs qui per abiectam naturam ad imperata faciunda ſunt propenſi. Homines enim ita nati ſumus, vt ſemper illos quidem imperio premamus, qui cedunt atque ſubmittunt ſeſe: ab ijs autem, qui fortiter

titer acceptam à maioribus ſuis libertatem defendunt, vim atque arma abſtineamus. Quod ſi qui minus promtè & audacter faciunt, verè illi digni ſunt, qui perpetua eaque graui ſeruitute premantur.

CXCVII.

☞ *Hoſti reconciliato nunquam fidendum.*

Qui nulla de cauſa grauiore iniuria & maleficio iniuſtè aliquem affecerunt, nunquam his tutò fidendũ, aut tanquam amicis vtendum eſt. *Acriores enim ſunt aculei eius, qui iniuriam fecit, quàm qui accepit:* adeò vt plerumque ſemel læſum ad internecionem vſque proſequantur & perdant, qui periculũ ſibi impendens ab hoſte, qui ſuperſtes relinquitur, ſuſpectum habent ac formidant. Sic Dio Syracuſanus ab Heraclida & C. Cæſ. ab illis ipſis Bruto & Caſſio, quos acerrimos

cerrimos anteà inimicos non impunitate ſolùm, ſed honoribus etiam & magiſtratu donauerant, ſceleratè ſunt interfecti. Vt meritò vſurpare illud Pacuuij poſſint, *Men' ſeruaſſe, vt eſſent qui me perderent?* nimirũ, *vt gratiæ & amoris in odium deſl xus facilis, ita odij & offenſionis ad gratiam difficilis eſt tranſitus: raroq́; ferox & faſtuoſus animus, vbi eum ſemel indignatio vehemens occupauit, ſincerâ fide cum reconciliatio amico agitat. Semper enim ex inimicis affectuoſiores amici fiunt.* [*Fazellus de rebus Sicul. lib. 3. c. 2.*

CXCVIII

☞ *Mercatores ad Rempub. & conſilia non apti.*

Dubium nemini eſſe debet, quin mercatores & omne illud lucricupidum genus hominum à Reipub. cura & conſilijs ſit remouendum. [*Ariſtot. lib. 7. c. 9. pol.*] Cùm enim ab ſeſe vitæ

ſe vitæ eiuſcemodi ratio parum generoſa virtuti ſit, naturâ inſuper negotiationis fit, vt publico bono neglecto, vnusquisque rem ſuam vrgeant, & amplexentur, vnde nihil perfici aut ad finem perduci ſolet. atque vbi poſt longam cunctationem vix tandem in conſilium conuenère, exiguo tamen temporis momento de Rep. conſultant, ſed illicò ad rerum priuatarum curam recurrunt, nec verò ex hac ſua negligentia detrimenti aliquid Rempub. capere putant, dum ſemper alios ſperant fore, qui communi bono ſint pro ſe proſpecturi. [*Thucyd. lib. 1. p. 110.*] Laudo igitur, & in exemplum omnibus regnis & Rebusp. Thebanorum legem propono, *neminem, qui decem ad minimum annos à commercijs non abſtinuerit, ad Reipub. gubernationem & conſilia admouendum eſſe.*

CXCIX.

☞ *Medios quàm nimis altos miniſtros Principes malint.*

Dictum & doctum à me ſuprà eſt, magnis adiutoribus principes magnos egere. Quod præceptum his carceribus circumcludo, vt rectos eos habeant, non erectos tamen, & altiore ſpiritu tumentes. hoc eſt, tales, qui pares quidem ſint negotijs, ſed non ſuprà. Nec enim dicis morisque gratiâ Tiberius Principum ille prouidentiſſimus, *eminentes virtutes nunquam ſectatus eſt, & rurſum vitia miniſtrorum odijt. Sed id ideò quòd ab optimis periculũ ſibi, à peſſimis dedecus publicum metueret.* [*Tacitus lib. 1. Annal.*]

CC.

☞ *Obſequio paratur amor.*

Fa... quodã ac ſorte naſcendi fit, vt cætera, ita Principum animi in obſequioſos

ſequioſos & modeſtos inclinent, offendantur audacia & libertate. *vt quãtò quis obſequio apud Principes promtior appareat, tantò honoribus & opibus extollatur.* [*Tacitus.*]

CCI.

☞ *Aulici & militares Duces omnia Principi ſuo ſine iactantia aſſcribant.*

Qui rebus gerendis tàm belli quàm pacis tempore à principibus præficiuntur, duo cumprimis meminiſſe debent, vnum, vt Principes omnium rerum modeſtiâ & difficultate liberent, alterum, vt gloriam ſummæ impoſitæ manus illis reſeruent abſq; omni iactatione ſui *Hæc enim regũ atq; principum conditio eſt, vt nolint quemquam ſeſe potiorem habere, ſed caſus aduerſos miniſtris ſuis tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ.* atque hinc fit, vt facilia factu, quæ tamen gloriam ſint pari-

tura, promtè ipſi expediant, difficilia autem & periculoſa alijs committant. Quod ſi nonnunquam euenit, vt oportuna negotia demandare alijs cogantur, grauiter omninò laudem & gloriam eorum, qui ea feliciter confecère, ferunt, & vt maximè velint ſuos proſperè & non contrà rem gerere, eorundem tamen claritudinem quóquo modo exſtinctum eunt. Quod de Philippo Macedonum Demoſthenes ſcripſit, ita gloriæ illum cupidum fuiſſe, vt omnia præclara facinora ſua eſſe videri voluerit, & magis indignatus fuerit ducibus, qui proſperè & laudabiliter aliquid geſſiſſent, quàm ijs, qui infeliciter & ignauè. [*Demoſt. in Orat. ad Philipp. Epiſt.*] Proindè regula hæc inuidiæ amoliendæ vnica fuerit, vt *ne in ſuam famam geſtis exultent duces, ſed ad auctorem & ducem, veluti miniſtri referant fortunam.* Sic *extrà inuidiam, nec extrà gloriam*

gloriam tamen in Principū gratiâ perennabunt. [*Tacitus in Agricol.*]

CCII.

☞ *Laudando quoſdam euerti.*

Apelles, Philippi Macedonum regis tutor, cùm Taurionem, qui Peloponneſi rebus præerat, obſtare ſibi videret, quo minus cuncta aulæ pro libitu dirigeret, nec tamen amouere eundem ſubdola calumnia magiſtratu poſſet, aliud argutum & mirum genus lædendi excogitauit, aſſerens regi, Taurionem digniſſimum eſſe, qui cum ipſo in caſtris atque acie verſaretur, & conſilia belli tractaret. *Polyb. lib. 4. in f.*] Ita etiam tum nouus hic modus calumniæ repertus fuerat, non vituperando aut per accuſationem, ſed laudando & per commendationē, dignitati ac commodis hominum inſidiari, quo incautiores decipiantur. Quod deter-

rimum vitium in aulis regum ita inoleuit, vt ijs, tanquam propria quadam ſede pedem fixiſſe videatur, vbi animi multorum tantis ſimulationũ involucris reguntur, & quaſi velis quibuſdam obtenduntur, vt neque cuiuſquam nuturæ, fronti, oculis, vultui orationi fidere tutòquiſquam poſſit, *magiſq́; amicorum inuidia, quàm inſidiæ inimicorum ſint metuendæ. Illud enim apertum, hoc celatum eſt malum: nocendiq́; fraus potentior eſt, quæ etiã per laudes & ornamenta homines ferit & enertit.* Sed profectò *totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum, qui, cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni videantur.*

CCIII.

☞ *Aulicorum ruina à triplici fermè cauſa.*

Etſi *naturâ ſuâ, fortuna res aduerſas cupido animo infligat, ſecundas parco tribuat*

buat, ita vt conſtantis & perpetuò propitiæ pauciſſima exempla narrari poſſint, tamen ſi aulæ conditionē animo meo complector, inuenio triplicem fermè cauſam eſſe, quo minus durabilis Principum gratia exiſtat. Primùm, quia *regum voluntates vt vehementes, ſic mobiles, & ſæpè ſibi ipſæ ſunt aduerſæ*. Dein, quia neceſſe eſt, aut ipſos Principes inuidia, vel pænitudine cùm omnia tribuerunt, capi, aut miniſtros, ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidiū, cum iam nihil reliquū eſt, quod cupiant, ferre. Tertiò, fit id fato potentiæ, non ſua via nixæ. *Caduca enim & fragilia, puerilibusq; conſentanea crepundijs omnia iſta ſunt, quæ vires atq; opes, dignitatesq; aulicæ vocantur. Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo ſtatu fortunæ huc atq; illuc acta, quos in ſublime extu-*

lerunt, improuiſo curſu deſtitutos, in profundo cladium miſerabiliter immergunt.

CCIIII.

☞ *Religionis mutatio omnium malorum in Repub. cauſa caputq́ꝫ.*

Vt vera *religione nihil in rebus humanis præſtantius, ſalubrius, aut ad amplificandum regnum efficax magis:* ita ſi qua noua dogmata impiè introducũtur, multos ad mutationem rerum impellunt. [*Plato lib. 4. de Repub.*] vnde coniurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, quibus miſerabiliter validiſſima quæque regna concutiuntur & ruunt. Cuius rei duo memorabilia exempla apud Herodotũ lib. 4. plurima verò in ſacra Scriptura habemus.

CCV.

Reges quando optimè imperent.

Principes, ſi omnia, quę aliũ quemuis in

uis in ſe imperantem facere vellent, ea ipſi ſponte ſua facerent, tunc non peccarent quippiam, ſed omnia rectè dirigerent, vitamq́; ex eo iucundiſſimam ſimul & tutiſſimam agitarent. [*Dio lib. 3.*]

CCVI.

Plebs audacibus fauet.

In omni ſeditione populari, quidquid modeſtum eſt aut moderatum, ignauiæ ſpeciem apud plebem habet, quod circumſpectum & prouidum, ſegnitiæ. [*Thucyd. lib. 3.*] Quidquid autem præceps, abruptum atq́; audax, id verò forte, magnanimum, & virile prorſus cenſetur. adeoque *ſemper in ea plerúmque maioris animi quàm conſilij pars vincit.*

CCVII.

Populi natura.

Hæc autem per omnia *natura mul-*

titudinis eſt, vt aut ſeruiat humiliter, aut ſuperbè dominetur. Libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec modeſtè habere poteſt. [*Liu. lib. 23.*]

CCVIII.

☞ *Regnorum præcipites caſus.*

Nunquam regna aut imperia his gradibus retroeunt, quibus ad ſumma peruenêre: ſæpè inter fortunam maximam & vltimã, inter præcipitia aut ſumma; aut, vt Seneca ait, inter ſolium & aliena genua nihil intereſt. Teſtantur hoc & Perſarum, & Medorum, Lacedæmonũ, Macedonum, omniumque ferè nationum annales: quorum Imperia, multorum temporum ſerie quæſita, vno & altero anno, penè dicam die, decoxêre. [*Curt. lib. 7.*] Nimirum vt magnæ arbores, quæ diu creuêre & auxêre, vna hora extirpantur: aut vt in annua Cœli conuerſione, mota ſidera tonant, ac ſuos flexus paullà

tempe-

tempeſtate ſignificant, [*Plutarch.*] ſic in regnorum conuerſione, vbi leui ſaltem motu intremuêre, externo vel intraneo bello, multorum annorum cumulatum Imperij corpus, ſubito turbine quaſſatum ad ima deturbatur.

CCIX.

Nouatores pernicioſi.

Nihil motum ex antiquo prudentibus probatur: veteribus, niſi quæ vſus euidenter arguit, ſtari malunt [*Liu. lib. 4.*] Sic enim exiſtumant, ſuper omnibus negotijs melius atq; rectius olim prouiſum: & quæ conuertuntur, plerunq; in deterius mutari. [*Tacit. 15. annal.*]

CCX.

Principijs obſtandum.

Quemadmodum parua ſæpè ſcintilla neglecta magnum excitare incendium ſolet, [*Q. Curt.*] *ita in omnibus Imperijs &*

rebuſpub. exigua nonnunquam principia, temerè etiam & incautè cepta ad ingemiſcendas Reipub. calamitates progrediuntur. Quæ etſi initiò in prima veluti herba ſua facilè opprimi ſuffocarique poterant, incuria tamen eorum, quibus illa impendent, incrementa cottidiè ſumunt, donec eò magnitudinis perueniunt, vt non ſine magno periculo reſtingui queant. Cuius rei multa documenta in bello Rom. Seruili, Spartaco, Macedonico habemus. Principes igitur maturè naſcentibus malis, & intrepidè occurrant, nec patiantur morâ & diuturnitate temporis, illa augeſcere & confirmari, *ne fœda imitatio, quaſi turpis ſcabies aut gangræna paulatim longius ſerpendo reliquos comprehendat.*

CCXI.

Multa ſemel & ſimul non inchoanda.

Simul

Simul & ſemel pluribus negotijs immergi principes, anceps & periculoſum prorſus eſt: Cùm quia *non in eiuſdem manu eſt rem inchoare ſimul, & imperfectam relinquere*, tùm verò, quia non aliàs fama & authoritas principis magis periclitatur, quàm vbi multa ſimul cæpta imperfecta deſerere cogitur.

CCXII.

Parta tueri, quàm noua quærere prius eſto.

Improuidè agunt ij, qui de parandis inuadendisque alijs ſubindè cogitant, de partis parum ſolliciti, confirmata & ſtabilita ea ſint nec ne. quibus idem euenire neceſſe eſt, quod cani illi Æſopico, qui dum ſpeciem carnis captat, ipſam offam, quam ore tenebat, amiſit.

CCXIII.

Conſilio & celeritate.

In om-

In omni actione *prinſquam incipias, conſulto, & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt.* [*Salluſt. in Catilin.*] Nunquam legi vel maiores res geſtas eſſe, quàm celeritate, aut neglectas, perditáſue, quàm cunctatione. Iul. Cæſar ſæpè centena paſſuum millia vno die peregit, adeò vt plerosque nuntios præueniret. [*Dio in Cæſare.*] Romanorum claſsis quæ centum & viginti nauiũ erat, quinta & quadrageſima die à Securi contra Hieronem nauigauit.

CCXIV.

Muti & mortui magiſtri viuentibus præferendi.

Alfonſus Siciliæ Rex *optimos Conſiliarios mortuos aiebat*, hiſtorias intelligens quæ multa vera plura item arcana principibus detegerent, quàm omnes amici familiaresq;. Nimirum *homines cum fortuna principum magis quam ipſis plerumq; principibus loquuntur.*

tur. [*Tacitus.*] Hiſtoriarũ verò ſermo candidus, nõ fucatus rectus, non obliquus eſt. Ibi ſine labore reperitur quod alij cum multo labore collegerunt: illinc & virtutes bonorum, & malorum ſcelera velut in patenti cãpo ſpectamus: adhæc vitæ humanæ varias mutationes, conuerſionesque rerũ, fortunæ inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus. Et vt in breue concludam, malorũ facinorũ pœnas, & bonorum præmia ipſi quodammodo ſentire nobis videmur.

CCXV.

Non temerè exteros in conſilia Principum legendos.

In conſilia principum homines exteri, exules & peregrini non niſi cum ſumma diligẽtia & maximè excuſſo conſilio ſunt legendi. vel quia facilè fides eorum in Remp. labaſcit, dum aut in arbitrium Princi-

pis, aut in ſuum aliorumq́; commodum cogitationes ſuas transferunt, vel quòd plerumque peritia Reipub. in illis deſideratur. quæ niſi ſemper præſtò ſit, à tota, vt ait Plato, via aberrare eos neceſſe eſt. [*Plato in Phædro.*] Demaratus Lacedæmoniorum rex, qui apud Xerxem exſulabat, cum in conſilio Perſarum didiciſſet, bellum contrà Græcos parari, amicior patriæ pòſt fugam, quàm regi pòſt maxima beneficia, omnia belli conſilia Græcis per literas enuntiauit. [*Iuſtinus, & Herodotus.* Quo facto auctor maximæ illius Perſarum cladis exſtitit. Grande documentum omnibus Principibus, *ne temerè exulum aut peregrinorum conſilijs ſeſe magis quàm domeſticorum credant.*

CCXVI.

Modeſta religio Principi conuenit.

Homines, qui in vna rerum diuinarum

narũ contemplatione mentem defixerunt, hiſce talibus montes & ſpeluncæ, & ſolitudines conueniunt. [*Nicephorus Gregoras. lib. 3. Hiſtor.*] Qui verò vnà cum pietate & religionis ſtudio mores ciuiles notiamque rerum variarum vſumque in communi vita habentium coniunxerunt, hi populum ad optima & ſaluberrima ducunt.

CCXVII

Fatum in omni re dominatur.

Vbi diuina prouidentia cum conſilijs & actionibus hominũ non conſpirat, malo eæ exitu, & ſpei planè contrario terminantur. [*Niceph. Gregor. lib. 7.*] Nam & prudentem, conſilium tunc deſtituit, & virum fortem virtus: quin etiam ſapientiſſima conſilia & cogitationes inſipienter deſinũt, & generoſa maximè ac maximè fortia facta turpem & infamem

exitum

exitum ſortiuntur. Sic contrà Cæſarem (quem fatum regnare volebat.) nulla neque prudentia Pompei, neq; potentia pop. Rom. aut denique fraus Ægyptiorũ valebat. Carolum quoque Burgundum fama eſt primis imperij ſui annis nec prudentiorem in conſultando, nec in exſequendo fortiorem ſeſe habuiſſe. attamen nullius principum triſtiorem μελαμόρφωσιν in conſilijs pariter & actionibus reperimus. vt verè dici poſſit, *ijs, quæ non diuinitus proſperentur, & terram & mare & aërem, omnemq́ naturam rerum aduerſari.*

CCXVIII.

☞ *Anima Conſiliorum ſecretum.*

Optimum ac tutiſſimũ adminiſtrandarum rerum vinculum Taciturnitas eſt. hæc omnia conſilia cùm belli tùm pacis tuta & factu facilia reddit: quæ

ſi detecta

ſi detecta eſſent, magnas fuerint difficultates habitura. Catonis hìc inſigne elogium, eum nullũ vnquam verbum emiſiſſe, quod emiſſum doleret. [*Plut. in Catone.*] Eumenes cùm Romam in Senatum veniſſet, ac de bello contrà Perſen Macedoniæ regem cum patribus deliberaſſet, in præſentia nihil, prǽterquàm fuiſſe in curia regem, ſcire quiſquam potuit. Bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque reſponſa eſſent, emanauère. [*Valer. Max.*] Scilicet *quemadmodum pulueris pyrÿ vi & impetu* (ſi occultus ille) *res magnæ patrantur, illis autem auctoribus exitio eſt, ſi hoſti innoteſcat, ita principum conſilia ſi ſilentio clauſa ſint, magnum & efficacem in gerendis rebus vſum habent, palàm facta omnem illicò vſum vigoremq́; amittunt.* Itaque neque gaudii oſtentatione, ob ſpem ſcilicet inopinatam affulgentem, neque metus: ſed neq; familia-

familiaritate inductum aut affectu & amore, quidquam communicare cum exteris oportet,ſed cum ijs duntaxat, ſine quibus res ad exitum deduci non poteſt: nec ijs ipſis anteà, quàm cuiq; rei agendæ tempus adiget. Silere autem non linguâ tantùm oportet, ſed multò magis mente. Multi enim ſermone quidem celantes, ipſo aſpectu & vultu, aut & factorum aliquo, decreta ſua reuelarunt. dum ſuſpicari alijs de conſilijs ſuis ſuſpenſi & mœſti, & magnæ cogitationis manifeſti dederunt. [*Polyb. lib. 9.*]

CCXIX.

☞ *In rebus arduis media via ſpernenda.*

Verè & ſapienter à Tacito dictum, *Inter ancipitia, deterrimum eſſe, media ſequi* dum in rebus afflictis homines ob conſilij inopiam nec prouident

ſatis

ſatis, nec audent. Igitur extrema omnia aggredienda dico, homini in re dura & difficili conſtituto, nec medietatis illius tramites anxiè & meticulosè nimis calcandos. Memorare poſſem quot & quales viri tutiora hæc conſilia, vti appellant, fruſtrà diu ſint vſi, qui tamen ipſi per extrema & periculoſiſſima poſteà emerſère.

CCXX.

Nimium acuti conſultores peſſimi.

Eſt quoddam genus hominum agile, callidum, igneum & ſubtile, qui naturali quâpiam ſagacitate, omniũ mortalium cogitationes, actiones & euentus rerum futurarum perrimari ac perſentiſcere ſtudent: his vt plurimum reges ac principes, præſertim curioſi illi & iuueniliter ambitioſi delectantur, qui præclarum putant

putant, ſi aut peruertere conſilia aliorum ipſi, aut verſutiâ ſuâ quempiam irretire poſſint. Quod quanta cum pernicie principum coniunctú ſit, dici vix poteſt. Nam vt omittam, nullos homines magis falli & errare in conſultando, quàm acres & ſubtiles illos, dum plerumque ea ſibi fingunt futura, quæ nec facta anteà ſunt, nec cogitata ab alijs: certum eſt, ægerrimè expediri & non niſi magna cum difficultate in rem deduci, eiuſcemodi conſilia poſſe. Vt enim Horarium, quo tenuius eſt ac ſubtilius elaboratú, maiori cura regitur, frangiturque facilius, ſic *conſilia quæ verſutijs & ſubtilitatibus nimijs innituntur, multis medijs, aſſiduo ſtudio, & accuratâ obſeruatione opus habent, & vix tamen ſcopum ſuum adipiſcuntur. Atq; hinc fit, vt plus ſapiat interdum vulgus, qui tantum, quantum opus eſt, ſapit.* Et, quod Thucydides docet, *Hebetiores, quàm acutiores,*

acutiores, vt plurimum melius rempub. adminiſtrant. Thucyd. lib. 3.

CCXXI.

Modus conſiliariorum ſententias explorandi.

Tiberius Cæſar dicebat animum principis nemini cognitum debere eſſe, ipſe autem omnium amicorum ſententias & conſilia ſcire & percallere, [*Ioſephus lib. Antiquit.*] quòd in priore illo periculum ingens, in hoc poſteriore ſummam vtilitatem conſiſtere putaret. Cùm pauci tàm confirmato animo reperiãtur, vt cognita ſententia & voluntate principis, contrà eam diſſerere aut conſulere auſint. Certè ſub illo ipſo Tiberio, maxima Senatorum pars adeò non auſa eſt conſiliã Cæſaris diſputare, vt vehementiſſimè timuerit, ne ſentire fraudes, & deceptiones Imperatoris intelligeretur. [*Tacit. lib. 1. Annal.*]

CCXXII.

CCXXII.

☞ *Peſſimum veri iudicij venenum ſua cuiq; vtilitas.*

Adhibendi in Conſilium non ſunt ij, de quorum amicis, propinquis, aut de quorum commodo, detrimentóue agitur, aut ſaltem magni aliquid putabitur intereſſe. [*Leo Imp. in libello de re militari.*] In tali enim caſu priuatæ commoditates ſemper officiunt publicis conſilijs, & rectæ iudicationi. Propterea multis nominibus laudandi populi illi, quibus legem fuiſſe Philoſophus ait vt qui agros limitaneos hoſtibus haberent, non admitterentur ad conſilia belli gerendi, quaſi ob priuatæ rei adſpectum ſuadere minus commodè poſſent. [*Ariſtot. polit.*] Quod ipſum olim in Heluetiorum Repub. prouidè vſurpatum, quorum cum multi in Neapolitano & Galliæ regno mercaturis rem

ris rem quærerent, eos omnes à communibus deliberationibus belli aduerſum eas nationes ſuſcipiendi arcebant, ne ob metum rerum ſuarum fidelia conſilia denegarent, vellentque propriæ quàm publicæ vtilitati conſultum. Plerique enim ita ſunt corruptâ naturâ, vt ſi lucellum aliquod ad ſe, aut ad eos, quos charos habent, pertingere vident, totum iudicium eò transmittant. Et ſic *etiam optimis conſilijs aut metus, aut cupiditas, aut naturalis eorũ, quæ cum animo verſant, amor obſtet.*

CCXXIII.

Principum quorundam ingratitudo ergà miniſtros ſuos, quantumuis benemeritos.

Neocles pater Themiſtoclis, cùm filium ſuum à reipub. cura abſterrere vellet, apud mare ei triremes antiquas proiectas iam, & neglectas o-

ſtendiſſe fertur, innuens eundem animum principũ, & populi in aliqua repub. in oratores, conſiliarios, miniſtrosque eſſe, vbi per ſenectutem non vltrà ex ijs fructus eſſet [*Plutar. in Themiſt.*] *Sic Commineus & Polybius vidiſſe ſeſe teſtantur, regum quorundam amicos & familiares, benemeritos ſenes, in aulis velut equos vetulos, ad mortem vsq; exercitos & abuſos, nullâ illis negotij remiſſione, nullâ temporis conceſſâ.* Cæterùm vbi nullos eorum vſus per inualetudinem corporis, aut animi mentiſque defatigatæ imbecillitatem fuit, ignotos contemtoſque, ſpeciem magis in *amicitiâ principum, quàm vim retinuiſſe* [*Tacit. 3. Annal.*]

CCXXIIII.

Sæpius conſultandum eſſe à belli Ducibus.

Benè conſultare, comperio maximum eſſe lucrum, nam etiamſi quid aliter accidat,

accidat, nihilò tamen minus benè conſultum eſt, ſuperauitque fortuna conſilium. [*Horodot. lib. 7*] at qui malè conſilium cepit, ſi ei fortuna obſecundauit, ille eſt quidem voti compos, nihilò tamen ſecus malè conſilium cepit.

CCXXV.

Belli temeritas vitanda.

Omnis res properando parit errores vnde magna detrimenta fieri aſſolent, in cunctando autem bona inſunt, ſi non talia quæ ſuo tempore bona quis eſſe comperiat. [*Herodot. lib. 7.*]

CCXXVI.

Detrahere alteri vtriſq; perniciosum.

Detractio importuniſſima res eſt. [*Herodot. lib. 7.*] in qua duo ſunt, qui iniuriam faciunt, vnus cui iniuria fit,

qui enim detrahit, iniurius eſt, quòd non præſentem accuſat. Item qui huic credit, iniurius eſt, quòd prius credit, quàm rem compertam habeat. Et illi, cui abſenti detrahitur, ob id fit iniuria, quòd ab altero inſimulatur, vt malus ab altero talis exiſtmetur.

CCXXVII.

Suſpicionis Natura.

Ita natura comparatum eſt, vt nemo nobis ſuſpectus ſit. quem non læſerimus neque ſuſpicari eſt animi recti, ſinceriqúe: ſed qui ſe ad inferendam alicui iniuriam præparauerunt: ſtatim conſcientia eorum facit, vt ſe haberi ab illis in ſuſpicione putent.

CCXXVIII.

Principum, cæterorumq; Aulicorum Animi mutabiles.

Pomp. Magnus cum per P. Clodium,

um, M. Ciceronem inuiſum ſibi, in exilium compuliſſet, paulò pòſt pœnitudine ductus effecit, vt reditus eidem decerneretur. [*Dio lib.4.*] Quem enim Clodij cauſa expulerat, eum contrà eundem reduxit. Ita *nimirum facillimo momento mutantur animi hominum, vſuq́; venit, vt à quibus ſe vel adiutum, vel læſum iri quis exiſtumet, eos longè alios experiatur.*

CCXXIX.

Principes poteſtati aliorum ne facilè ſeſe committant.

Improuidè agũt Principes, qui cũ pacis, tùm verò magis belli temporibus poteſtati ſe aliorum committũt. [*Commin. lib. 2. & 3.*] Exiſtant enim in omnibus paſſim hiſtorijs pulcerrimæ picturæ, quæ clarè demonſtrãt, quàm multa perfidè ſæpè & inſidioſè in eiuſmodi collocutionibus fiant, & in quantas acerbitates aliquando con-

commiſſi fraudes eorum, in quibus ſpem repoſuerant, ægrè & non ſine manifeſto numinis auxilio effugerunt.

CCXXX.

Vltio principum cæſorum.

De Iulio Cæſare & de Gordiano Impp. memoriæ proditū eſt, omnes eorum aduerſarios (quorum illius duo, huius nouem fuère) ſua manu ſuiſque gladijs, & ijſdem, quibus illos pecuſſerant, interijſſe. Vt teſtimonio ſit, *Deum omninò autorem Imperiorum eſſe, nec vnquam cædes ſummorum magiſtratuum inultas prætèriſſe.*

CCXXXI.

Principes contemti.

Nihil quidquam eſt ad audaciam malis, ad ſpem bonorū promtius, quàm cùm malus timetur, vel diſſolutus contemnitur Imperator.

CCXXXII.

Lenitas decora principi.

Cùm *imperium nihil ſit aliud, quàm cura ſalutis alienæ*, vt ſapientes definiunt, ſanè boni moderatoris eſt, reſtringere poteſtatem, & cupiditati atque iracundiæ quanta maxima vi reſiſtere. Veriſsimum ſiquidem eſt, quod Cæſar ille Dictator dicebat, *miſerum inſtrumentum ſenectuti eſſe recordationem crudelitatis*: ideoque de vita & ſpiritu hominis, quia pars mundi ſit, multa cum cunctatione & exploratione ſententiam ferendã, ne præcipiti cæde, vbi irreuocabile fatum eſt, Principes cum animo ſuo poſtmodùm exagitentur.

CCXXXIII.

Vltio modeſta.

Viri aulici, quos ſemper grauitas decet, non inſequi truculenter iniuria po-

ania populi verba debent. Si quod fortè eſt, quod admiſſum, pœnam mereatur, culpa legibus, non per præſumtam iniuriam eſt coërcenda. Quid enim diſcrepat à peccante, qui ſe per exceſſum nititur vindicare? impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit. [*Caſſiodorus.*] & excellenter videtur de pulſato triumphaſſe, qui victor à iudice pronunciatur.

CCXXXIV.

Gratitudo Principum.

Remuneratio meritorum, iuſtum dominantis imperium prodit: apud quem perire neſcit, in quo quempiam multum laboraſſe contigit. [*Caſſiodorus.*]

CCXXXV.

Subditi ad principem ſe formant.

Adeò hoc verum eſt, Quales in republ. principes ſint, tales reliquos

ſolere eſſe ſubitos & ciues, vt *facilius ſit, ipſam Naturam rerum errare, quã vt principes diſſimilem ſui rempub. formare poſſint.* [*Caſſiod. III. Var. ep. 12.*]

CCXXXVI.

Principi authoritatem miniſtri afferunt.

Adornatũ & ſplendorem principis pertinet, aptas dignitatibus perſonas eligere. quia de claritudine ſeruientium creſcit fama dominorum. Tales igitur prouehere principem decet, vt quoties proceres eius ab exteris conſpiciantur, toties recta iudicia habuiſſe prædicetur. Moribus enim conſpicui debent eſſe, qui cæteris in exemplum ſufficiuntur. [*Caſſiod.*]

CCXXXVII.

Conſiliariorum ſententiæ quo ordine audiendæ.

Apud

Apud antiquiſſimos Romanorum morem hunc fuiſſe reperio, vt in Comitijs, ſi quid cum populo agendum foret, ſemper priuatis hominibus prius, quam magiſtratum tenentibus concionem darent, ne potentiorũ ſententijs deterriti cæteri, parum liberè aut liquidè de bono publico ediſſertarent. Quod ego modis omnibus imitandũ principibus cenſeo, ita quidem, vt ſemper ab infimo quoque, & cuius inualida adhuc ſit authoritas, initiũ faciant de re propoſita cenſendi. ne ſi id à quopiam præſtantiori fiat, aliorum mentes ſplendore aut præſumta prudentiæ opinione perſtringantur, & metu vel offenſionis, vel alienioris conſilij, occultare potius animi ſui ſententiam, quàm non aſtipulari ſpectationibus velint.

CCXXXVIII.

Natura potentiam quærentis & adepti.

Cæſar cùm abundè militum animos firmatos ſibi videret, cogitationes ſuas ad res ciuiles transmittentdum ratus, C. Curionem tribunum, hominem magna vi ingenj animiq́ue omni ære alieno liberatum ſibi adiunxit. [*Dio in Iul. Cæſare.*] nec ingenuos tantùm, ſed & ſeruos, ſi quos apud dominos aliquid poſſe intelligeret, magnis muneribus mercabatur, nulli nec impenſæ nec adulationi parcens, dum, quod animo conceperat, obtineret. Vnde tanta quidem omnibus pollicebatur, quanta præſtare nemo mortaliū poſſet. Atq́ue hinc cognoſcere licet, quam diuerſa ſint conſilia & actiones eorum, qui rem magnam & difficilem expetunt, & eorum, quia iam eâ ſunt potiti.

titi. Ii namque, ſi quos obſtare inceptis ſuis vident, maria monteſq́; pollicendo eos ad partes ſuas traducunt: hi verò vbi rem propoſitam perfecère, neq; pollicitorum meminerunt, & potentia contrà eos ipſos, à quibus eam accepère, vtuntur. Adeò *longè, alius cupientium quidem, alius adeptorũ, animus eſſe ſolet.*

CCXXXIX.

Regibus & Rebuspub. etiam amicorum potentia formidabilis.

Carthaginenſes cùm pace à Romanis accepta à mercenarijs militibus tantùm-non oppreſſi velut in ſinum finitimorum confugere cogerentur, Hieron quoque Siciliæ Rex validiſſimis auxilijs illis ſubuenit, etſi anteà hoſtis Pœnorũ, & Pop. Rom. ſemper amicus fuiſſet [*Polyb.*] Idque ob eam cauſam, quòd ſalutem illorum

rum plurimum ſibi profuturam crederet, & ad Imperium in Sicilia, & ad amicitiam cum pop. Rom. conſeruandã: ne Carthaginienſibus perdeletis, liceret Romanis, omnia ea, quæ collibuiſſet, nemine reſiſtente, perficere. Prudenter ſanè atq; aſtutè. *Nunquam enim res eiuſcemodi inſuper ſunt habendæ, nec permittendum cuiusquam potentiã regis aut populi in tantum creſcere, vt nequidem de manifeſta iuſtitia apud eum liceat dubitare.*

CCXL.

Odi ſapientem, qui ſibiipſi non ſapit.

Conſiliarijs ijs vti Principes debent, qui rebus proprijs benè conſuluerũt, non autem qui per imprudentiam aut ignauiam, malè: cuiusmodi ſunt homines luxurioſi, molles, & turpiſsimę parti corporis mancipati. [*Baſilius Imp. c. 18. ad filiũ*] Quos quidem

quidem decoctores aut conturbatores rerum ſuarum haud abſurdè quis appellauerit. *Qui ſi rebus proprijs malè proſpexerint, quinam illi bene conſuluerint alienis?*

CCXLI.

Futuris non confidendum.

Nunquam futuris rebus velut iam factis confidendum eſt; neque ſpes in ijs collocanda, quæ euenire aliter poſſunt. [*Dio in Pom.*] ſed ſemper partem aliquam ijs, quæ præter ſpem accidere valent, cùm in rebus omnibus, quandoquidem homines ſumus, tùm vel maximè in bellicis reſeruare debemus. *Periculis enim compertum eſt, conſilia callida, audacia, & præſidentia, primâ ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia eſſe.* [*Tacitus.*]

CCLXII.

Regum natura.

Reges

Reges natura quidem neminem vel hoſtem vel amicum habent, ſed ex commodo atque vtilitate amicitias inimicitiasque metiuntur.

CCXLIII.

Conſilia prudentum ex euentu malè æſtimari.

Ita hodiè res eſt, vt non humilium modò, ſed etiam ampliſſimorum virorũ conſilia ex euentu magis, quàm vera eorum virtute ac bonitate probentur. Verùm præpoſterè omninò ac imprudenter, Cùm quia ſæpè praua conſilia,, vbi ſecundam fortunæ auram nacta ſunt, felices exitus habent, tùm quia. etiam ea, quæ optimè cogitata & deſtinata ſalubriter ſunt, à fortuna omni ratione potentiore diſcutiuntur [*Curt. lib. 3.*] Et hoc eſt quod Phocion, cùm reiecto conſilio eius Athenienſes benè rem, temerariè tamen geſſiſſent, atq; ob id rogaretur,

tur, quid ſibi de Ciuium conſilio videretur, reſpondit, illorum quidē felicius, ſuum autem tutius & rectius fuiſſe. Sed profectò, ſi verum hodiè dicimus, *vt quiſq; fortunâ vtitur, ita praecellet, atq; exinde ſapere eum omnes dicimus.*

CCXLIIII.

Principes minuti aſtu magis quàm armis rem gerant.

Teſtudo, vbi collecta in ſuum tegmen eſt, tuta eſt ad omnes externos ictus: vbi exſerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium atq; infirmum habet. [*Liuius.*] Sic principes & reſpub. inualidæ, quarum modica adhuc potentia eſt, vbi auiditate aliena complectendi, ditione ſua excedunt, nuda omnia, quæ extrà ſunt & expoſita ad omnem fortunā hoſtibus propinant. Lacedæmonij totis octingentis annis nullum aduerſum

uerſum prælium in ſua terra fecer'
ita vt prorſus inuicti haberetur. Poſt
eà verò quàm in Aſiam & cæteras
Græciæ ciuitates arma tranſtulère,
multas & grauiſſimas clades ſunt
perpeſſi. Proindè *niſi ſumma neceſſitudo aut opportunitas exſtet, melius fuerit aſtu & conſiliјs res externas moliri, quàm raptis armis in præcipites caſus fortunas ſuas dare.*

CCXLV.

☞ *Silentium in homine irato ſanæ cogitationis indicium.*

Certiſſimum ſanæ cogitationis indicium in irato homine eſt, iræ occultatio. [*Tacitus.*] Vt enim canes qui minimum latrant, maximè ſunt mordaces & metuendi: ſic ira quæ in morſum labiorum, frendendum dentibus, vanas incurſiones, maledicta, & ſtultas minationes ſoluitur, plerumque inefficax eſt, & vltrò concidit. [*Plut. de Ira.*]

Ira.] *Qui verò ſilentio dicta factaq́ iniurioſa aliorum ad tempus transmittunt, & veluti ſecreto ſuo ſatiantur, hi implacabilius iraſcuntur, & conceptum intus odium in vindictæ occaſionem reponunt.*

CCXLVI.

☞ *Fortuna contrà rationem haud diuturna.*

Non placent mihi, qui maiore fortuna quàm ſapientia in rebus gerendis vtuntur: ſiue quis naturam illius conſideret, quæ multos diu proſecuta, repentè velut defatigata deſtituit, vt Pomp. Polycraten C. Marium, & alios: quos ob nullam aliam cauſam tantis beneficijs cumulauit & auxit, quàm vt ad duriorem caſum ſeruarentur. ſiue denique ingenium populi, qui per hos tales erectus, dum aliud ex alio prauâ cupiditate aggreditur, in grauiſſimas tandem calamitates ruit. Quod præclarè Cato

rè Cato in ſenatu ediſſertauit, cùm Pomp. Magno continua bella demãdari videret: *& potius cautos conſilio & ratione, quàm felices ex caſu belli duces deſideraret.*

CCXLVII.

Pietas Principes verendos facit.

Inter omnes virtutes regias, vna Pietas maximè verendos Principes facit, ſi ille res diuinas & ſeriò & antè omnes tractare videatur. [*Ariſtot. pol. 5. c. 11*] *Nam & minus iniuſti aliquid ſperant ab eo Principe, quem præter cæteros religioſum & Dei amantẽ vident: & minus ei aduerſantur, & inſidianturq́;, quem à diuino numine protectum defenſumq́; iri credunt.* Quod & reges omnes Perſarum, Ægyptorumq́ue, & inprimis Numa Pompilius, Scipio Africanus, atque alij egregiè docent. Quorũ poſtremi illi nunquam antè ad negotia publica vel priuáta ibant, quàm

quàm in templorum cellis aliquantiſper commorati eſſent. *v. s. de religionis vi.*]

CCXLVII.

Inſidias vt tollant principes.

Duplici via Principes inſidijs & coniurationi domeſticorum obuiam ire poſſunt, clementia & Seueritate: quarum illa non tantùm honeſtiores, ſed tutiores præſtat principes: ornamentumque imperiorum eſt ſimul, & certiſſima ſalus: vt cùm Titus Veſpaſianus, duos patricij generis conuictos in affectatione imperij nihil amplius, quàm vt deſiſterent, monuit: [*Sueton. in Tito.*] Hæc poſterior non ſine periculo, & non niſi ſumma neceſſitate vſurpanda: quæ vbi incubuerit, *totus inſidiantis nexus & cathena rumpenda & incidenda eſt.* [*Seneca 1. de Clem.*] Aliter parentes liberique eorum, qui interfecti ſunt,

cti ſunt, & propinqui & amici, in locum ſingulorum ſuccedunt [*Plat. 9. de Ll*] quo facto, ne manſuetudo & miſericordia iſta principi in miſeriam vertet.

CCXXIX.

Simulationis & deceptationis nota.

Vt picturæ operoſæ laſciuientibus coloribus, fractis plicis, rugis atque angulis euidentiæ ſimulacrum paratur: [*Plut. de Adul. etiam.*] ſic ſimulati officij aut fraudis impendentis eſt, ſudare, diſcurrere, ſatagere in omnibus, & ad omnia obuium eſſe, vt miniſterio ſpeciem laborioſæ ac difficilis operæ conciliet, & ubi in paruis fidem ſibi præſtruxerit, cùm operæ pretiũ ſit, magna cum mercede fallat [*Liu. lib. 28.*] Adeò *ſemper inſitum homini, Quanto magis falſa ſunt, quæ fiunt, tantò plura facere.* [*Tacit. 1. Hiſt.*]

CCL.

Præmia.

In omni Repub. eò potiſſimũ labor & periculum impenditur, vnde honos atque emolumentum ſperatur: negliguntur & ſordent, à quibus nil præterquàm contemtus exſpectatur [*Caſſiod.*]

CCLI.

Remiſſum Imperium deterius quàm ſeuerum.

Vt nihil acerbius hominibus eſt imperio crudeli & aſtricto nimis: ſic nihil exitioſius eſt ijs, qui effusè nimis populariſe auræ dant, & omnem etiam infimæ plebis rumorem affectant. vt haud iniuria dubitaſſe ſapiens quidam mihi videatur, *peius ne eſſet, principem habere, ſub quo nihil vlli liceret, an ſub quo omnia omnibus.* [*Fronto apud Dion.*]

CCLII.

CCLII.

Luxus & temulentia.

Solutè viuentes principes, deſpicatui valdè ſubditis ſuis fiunt, & magis expoſiti ſunt inſidijs & coniurationi, quàm violentiſsimi tyrannorum. [*Ariſtot. pol. l b. 5. c. 14*] Hi enim cum *ſobrij* ſint *& vigilantes, tàm faciles aggreſſu aut contemtu non ſunt, quàm ignaui iſti luxui & ſaginæ mancipati, emtiq;, qui velut pecudes, præterita, inſtantia, futura, pari torpedine tramittunt.* [*Tacitus.*]

GCLIII.

Vulgaris opinio rarò vera.

In vniuerſum hoc verum eſt, totius vulgi, aut certè plurimorum conſilia & ſententias plerumque falſas & infelices eſſe.

CCLIIII.

CCLIIII.

Conuentiones rebellium cum rege ſuo infirmiſſimæ.

Nullæ ſunt conuentiones minus firmæ, & quæ accuratiore cautione opus habeant, quàm quos faciũt ſubditi rebelles cum principe ſuo: [*Bodin. de Rep. lib. 1. c. vlt.*] armis enim poſitis, vbi aut alteram partem vltio, aut alteram pœnitentia iniquæ pacis inſtigat, quantamcunq; rimam effugio repererint, liberatos ſe eſſe iureiurando interpretantur. Meo igitur conſilio prudenter pars imbecillior fecerit, ſi non ipſa, ſed alius princeps extraneus & vicinus pro eis contraxerit. vt vel reuerentia vel metu potentioris ſtare conuentis ambo cogantur. Hoc enim eſt quod Liuius de Philippo ſcribit, vna re maximè anxium ipſum fuiſſe, quòd cùm pacis leges à Romanis impoſitæ eſſent

ſæuiendi ius in Macedones, qui in bello à ſe defecerant, non habuerit. [*Liu. lib. 39.*]

CCLV.

Iniuriæ prioris tolerantia alterius inuitatio eſt.

Qui contumeliam atque alias iniurias iniuſtè ab aduerſarijs factas ſpecioſo ſilentio toleranter transmittunt, nihil aliud conſequuntur, quàm vt ad maiora & grauiora ſcelera æmulos iuuitent, & reliquis hominibus ludibrio exponantur. Quòd ſi maturè ſeſe & acriter conſilijs hoſtilibus obiecerint, non priſtinam modò authoritatem ſibi conſeruabunt, ſed omnibus amicis pariter atque inimicis admirationi & terrori erunt.

CCLVI.

Anceps & periculoſum exemplis indicare.

Vt ma-

Vt magnæ cùm neceſſitatis, tùm commoditatis, ita ingentis periculi res eſt, pleraque conſilia & actiones ſuas exemplis aliorum arbitrari & ponderare: [*Guicciard. lib. 1. Hiſtor.*] niſi ſi eædem rationes, non vniuersè modò, ſed ſingillatim omnes conſpirent. deindè ni pari vtrinque prudentia tractentur. poſtremò, niſi præter cætera omnia, ſuas eadẽ fortuna parteìs agat. Aliter, Conſilia eiuſmodi omnia, ipſo ortu dubia, tractatu dura, euentu triſtia eſſe ſolent. Quod & Demoſthenis fortuna in bello Macedonico, Ciceronis bello ciuili Antoniano. Pomp M. contrà Cæſarem fata docuère. qui ferè omnes Themiſtocleo exemplo falsò vſi ruinâ ſuâ, Rempub. vnà exſtinxere.

CCLVII.

☞ *Periculoſiſſimum ab alio conſilium capere.*

In rebus arduis vti nihil magis neceſſariũ,ita rurſum nihil periculoſius eſt, quàm ex alterius conſilio pendere [*Guicciard. lib. 1. Hiſtor.*] Nec cuiquam eſt dubiũ, alieno conſilio minus egere prudentes, quàm imprudentes, & tamen fructũ maiorem ex conſilio capiendo ſapientes percipiunt. Quis enim tanta eſt præditus ſapientia, qui per ſe omnia perſpiciat atque cognoſcat, & in contrarijs ſententijs, quæ ſit potior, dijudicare valeat? Præterea autem quis alium conſulens certò ſcit, ſe fidele conſilium auditurum? (cùm *ſæpè vniuscuiusq; natura, frons, oculi, vultus mentiantur*) [*Cic. de Orat.*] Itaque qui dat conſilium, nî valdè ſit fidelis, aut benè ergà eum qui petat, affectus: non modò inſigni aliqua vtilitate impulſus, verùm exiguo quouis propoſito commodo, quauis leui cupiditate, ſæpè conſilium in eum dirigit finem, qui maximè ſibi

mè ſibi accommodatus eſſe videatur: cumque hi fines non rarò ab eo, qui conſilium capit, ignorentur: cõſilij infidelitatem, niſi prudens ſit, non animaduertit.

CCLVIII.

In alÿs plus homines ſapere.

Poteſt autem natura mortalium hocquoque nomine praua & ſiniſtra dici, quòd in ſuo quiſque negotio hebetior eſt, quàm in alieno. [*Q. Curtius.*]

CCLIX.

Reges proſpera ſibi, aduerſa miniſtris imputant.

Ea eſt conſuetudo regum, vt caſus aduerſos miniſtris tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ. Quo facilè fit, vt impellantur ad perniciem eorum, quorum ductu res malè geſtæ renunciantur. [*Cornel. Nepos. in vita Datamis.*]

CCLX.

Obſequium militem decet.

Tam neſcire quædam milites, quàm ſcire oportet. Ita ſe Ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, vt multa per Centuriones, tribunoſque tantùm iuberi expediat [*Tacit* .] Si, vbi iubeantur, quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio, imperium quoque intercidere neceſſe eſt. Itaque *parendo potius, quàm imperia ducum ſciſcitando res militares continentur.* Et hoc eſt, quod Cæſar dicere ſolebat, *Non minus ſe modeſtiam in milite, quàm virtutem atq; animi magnitudinem deſiderare.* [*Iul. Cæſ. lib. 7. Comment.*]

CCLXI.

Seueritas Ducis illaudata.

Omninò prouidendum eſt Duci, ne, quæ alij ſcelera, hic remedia vocet, dum falſis nominibus, ſeueritatem

tem pro ſæuitia, parſimoniam pro amicitia ſupplicia & cōtumelias militum diſciplinam appellat. [*Iul. Caſ.*]

CCLXII.

Fortuna neruus conſiliorum.

Fortuna in magnis viris accuratè obſeruanda eſt, in qua omne honeſtis conſilijs & actionibus robur, & ſine qua quamuis cetera virtutum egregia inualida ſunt. [*Iul. Caſ.*]

CCLXIII.

Mediocritas melius tuetur Respub. quàm nimia potentia.

Conſeruatur meo iudicio omnium optimè regna & Respub. ſi poteſtates ad moderationem reuocentur, maximè in principatu vnius, cuius quò minor eſt poteſtas, eò diuturnior & ſtabilior ſolet eſſe. [*Ariſtot. lib. 5. c. 11.*] Nam & ad dominationem ſtrictiorem minus ſunt inſtructi, & magis pares ſunt moribus, &

denique minus eorum, qui ſubſunt, inuidia flagrant. Ob hanc cauſam & Moloſſorũ olim regale ciuitatis genus & Lacedæmoniorum ſtabile admodum fuit. Quod etſi initio in duas partes diuiſum eſſet, Theopompus tamen præter alios magiſtratus etiam Ephoros inſtituit, vt quemadmodũ poſteà Romæ Conſulari Imperio tribuni plebis, ita hi regiæ poteſtati obijcerentur. Atque ita ille, legitimis vinculis regnum conſtringendo, quo longius à licentia retraxit, hoc propius ad beneuolentiam & ſecuritatem ciuiũ admouit. Quod eum vxori ſolitum aiunt dicere: cui obiectanti, annon puderet eum minus regnum liberis relinquere, quàm à patre accepiſſet? Non pudet verò, inquit, trado enim diuturnius. *Eam demum intelligens tutam potentiam eſſe, quæ viribus ſuis modum imponere noſſet.* [*Plut. in Apopht.*]

CCLXIIII.

CCLXIIII.

☞ *Conſilium mutare non ſemper inconſtantiæ aſſcribendum.*

Non permanendum eſt viro ſapienti & amanti patriæ ſemper in vna ſententia, conuerſis rebus, ac prioris conſilij cauſis & & rationibus immutatis: ſed temporibus aſſentiendum. [*Cic. lib. 1. Epiſt. fam. ad Lentul.*] Neq; enim vnquam præſtantibus in Rep gubernanda viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio. Sed vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas: cum verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cũ periculo curſum, quem ceperis, quàm eo commutato, quò velis, tamen peruenire: ſic cum omnibus in adminiſtranda Repub. propoſitum eſſe debeat ſalus patriæ, non idem ſemper dicere aut facere,

ſed idem ſemper ſpectare debemus. Oportet enim eos. [*Plat. 10. de Repub.*] qui in Reipub. naui ſedent, tanquam in talorum iactu, ad id, quod ceciderit, res ſuas aptare, qualiter idcunque ratio eſſe dixerit. Non autem quaſi pueros, ipſos quoque cadentes firmiter eam rem tenere, in quam impegerint, & clamando quiritandoque tempus conſumere.

CCLXV.

Educationis magna vis in magnis ingenijs.

Nullum maius eſt donum, quod acceptum bonitati Muſarum homines ferre debeant, quàm quòd doctrina & diſciplina emolliuntur & mitigantur ingenia, modumque tenere, & omnia nimia vitare diſcunt. [*Plutar. in Coriol.*] Si enim verum eſt, quod quidam arbitrantur, *a magnis & excelſis ingenijs uti magnas virtutes, ita*

& vitia

& vitia multo-maxima proficiſci, [*Plato.*] quippè cùm in eodem ſtatu animus hominis nunquã quieſcat, profectò niſi ille honeſtis ſtudijs, veluti quibuſdam clauſtris obſideatur, neceſſe eſt, ad omnia vitiorum genera magno impetu illum prorumpere. Cuius rei præclarum teſtimonium Coriolanus, Alcibiades, Antonius, & alij tulère. in quibus etſi robur animi & conſtantia, magnique motus ad res præclarè gerendas efficaces fuère, tamen ob diſciplinæ inopiam contracta eorum vitia inuiſa ſuſpectaque omnibus fuère. *Nimirum vt ager bonus niſi accuratè colatur, inter bonos fructus etiam multum veprium & ſpinarum gignit: ſic animus iuuenilis, vbi bonarum artium exercitatione deſtituitur, tantò vehementiores ſcelerum vitiorumq́; impetus ſentit; quantò maioribus anteà rebus per bonas diſciplinas par erat.*

CCLXVI.

CCLXVI.

Fruſtrà quibuſdam antiquos mores repeti.

Omnibus temporibus Magni quidam ciues exſtitère, qui ſumma vi & conſtantia animi conarentur antiquam viuendi formam in ciuitatem ſuam reducere & propagare: [*Plut. in pol.*] Verùm ij aliud nihil conſecuti ſunt, quàm quòd intempeſtiuę & extra conſuetam naturę legem naſcentes fruges, quas non æquè libenter comedere quam admirari, & cum voluptate quadam intueri ſolemus. Sic priſca illa Catonis aliorumque deſueta & altè nimis repetita forma viuendi inter perditos & profligatos ſui ſeculi mores emicans, admirationem habuit illa quidem & gloriam ſingularem, fructum verò & vtilitatem minimè certè dignam, neque enim quantumuis celſa & eminens eius

eius virrus tempeſtatis illius proſtra-tis moribus par eſſe potuit.

CCLXVII.

☞ *Eminentiſſima al cuius profeſſionis ingenia in idem fermè tempus & florere & conſeneſcere.*

Mirantur quidam, eminentiſsima cuiusque profeſſionis ingenia in vnam formam atque in idem artati temporis congruens ſpatium omni æuo cõfluxiſſe & confluere: [*Velleius lib. 1. inf*] nam & eadem penè ætas per diuini ſpiritus viros, Æſchylum, Sophoclem, Euripidem, tragœdiam apud Græcos illuſtrauit: & pleraque Philoſophorũ ingenia Socrates, Plato, Xenocrates, Ariſtoteles, & alij innumerabiles eodem tempore floruère: de Oratoribus quid dicam? Demoſthene, Æſchine, Demade, Pericle? niſi anguſtiſſimis temporum clauſtris circumdatos eſſe: quemadmodum

modum & ſub principe operis ſui M.Tullio perfectum proſæ eloquentiæ decus erupit in Cæſare, Cælio, Bruto, Sulpitio, Craſſo & paucis alijs, vt delectari antè etſi pauciſſimis, mirari verò neminem poſſis, niſi aut ab illis viſum, aut quem illi viderint. Idem & de poëtis, Grammaticis, Iuriſperitis, plaſtis, pictoribus, ſcalptoribus dicendum, qui & ipſi eàdem ipſa ætate velut agmine facto eruperunt.

CCLXVIII.

Ratio huius rei.

Cauſæ huius rei ſi non veræ, veri tamen ſimiles hæ videntur. Primo, *Quemadmodum vrbium Imperiorumq́ʒ, adeoq́ʒ rerum vniuerſarum, ita artium & ingeniorum, nunc fortuna & claritudo floret, nunc ſeneſcit & interit.* Deindè, *æmulatio ingenia alit, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaq́ʒ*

naturaq́;, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum : difficilisque in perfecto mora eſt: naturaliterque, quod procedere non poteſt, recedit, &, vt primò ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur, ita, vbi aut præteriri aut æquari eos poſſe deſperauimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit, & velut occupatum relinquens maturam, quærit nouam: præteritoq́; eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid in quo nitamur, quærimus: ſequiturq́; vt frequens ac mobilis tranſitus maximum perfecti operis impedimentum euadat.

CCLXIX.

Diuino arbitrio omnia permittenda.

Socrates humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltrà petendum à DEO immortali arbitra-

bitrabatur, quàm vt bona tribueret. [*Valer lib. 7. c. 2. p. 416.*] quia ij demũ ſcirent. quid vnicuiq; eſſet vtile: nos autem plerunque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Etenim *denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patentem errorem cæcas precationes ſuas ſpargit?* diuitias appetit, quæ multis exitio fuerunt: *Vana hominum vota!*] honores concupiſcit, qui complures peſſumdederunt: regna ſecum ipſa voluit, quorum exitus ſæpenumerò miſerabiles cernuntur: ſplendidis coniugijs inijcit manus, at hæc vt aliquãdo illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. *Deſinamus igitur futuris malorũ noſtrorum cauſis quaſi feliciſſimis rebus inhiare. nosq; totos cæleſtium arbitrio permittamus, quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.*

CCLXX.

CCLXX.

Crebri ſed breues & iucundi cum principe ſermones ſunto.

Colloquia aulicorum cum principibus crebra ſed breuia & iucunda debere eſſe, nemo ſapiens vnquam negauit: cùm vt ne obliuio principem capiat conſiliarij, tùm verò etiam, ne faſtidire incipiat congreſſum eius, qui diutius cum ipſo conuerſatur: ſed ſemper deſiderium aliquod ſui in animo principis relinquat. Ariſtoteles hoc ſciuit, qui Calliſthenem auditorem ſuum, ad Alexandrum Magnum proficiſcentem monuit, vt cum eo aut quàm rariſſimè, aut quàm iucundiſſimè loqueretur. Quo ſcilicet apud regias aures vel ſilentio tutior, (erat enim rigidiore paulò naturâ) vel ſermone eſſet acceptior. At ille dum Alexandrum Macedonē perſicâ ſalutatione gaudentem

dentem obiurgat, & ad Macedonicos mores inuitum reuocare beniuolè perſeuerat ſpiritu carere iuſſus, ſeram neglecti ſalubris conſilij pœnitentiam egit. [*Plut. in Alex.*

CCLXXI.

Quòd potentioribus ſeruiendũ ſit.

Prouerbij vicem eſt apud Germanos, in magnis fluminibus piſces grandes, in paruis paruos capi. Idem de dominis apud miniſtros mihi iudicium ſit, vt ſeruiant potius magnis & potentibus, apud quos facilè emergere, & exambire magnos honores & diuitias licet, quàm minutis dominis. Niſi quòd *in vaſtò pelago, quàm exiguo riuulo, propior plerumq; ſubmerſio exiſtat.*

CCLXXII.

Homo non ſtatim ex fronte indicandus.

Etſi,

Etſi, vt ſuperius à me dictum eſt, magnum animi indicium oculi, vultuſque hominis perhibeant, non in vniuerſum tamen verum illud eſſe putandum eſt. Non enim poſſumus hominem cognoſcere ſolùm ex rebus externis & facie, quoniam in animo eius quid lateat, neſcimus. nam multi ſummam prauitatem occultantes, ſummam probitatem in facie effingunt. Quod idem dicit Iuuenalis Sat 2. *Fronti nulla fides.*

CCXXIII.

Comitatis vſus.

Vt qui feris cicurandis ſuum impendunt ſtudium, antè omnia ſeſe ingenijs & affectibus illorũ accommodant, omnibus modis ijs obſequendo: ita comitas & affabilitas principum. Ducumque militarium apprimè efficax eſt ad illabendum animis hominum, & ad ſuos vſus adiungen-

iugendum. Nec enim aliter comitas excellentium virorum, quàm vinum præſtans in corpus hominis illabitur, quod mox diffuſum per omnes artûs vim ſuam explicat, & totum hominem in ius ſuũ rapit. Nam cùm tribus præcipuè rebus ad obtemperandum adducantur omnia animalia, cibis abiectiora, delinimentis erectiora, verberibus contumacia: homo, quod eſt animal generoſiſſimum, neque minis neque ſupplicijs cogi vult, ſed comitate & benevolentia inuitari cupit.

CCLXXIV.

Quibus rebus æſtimandus Princeps.

In nauigatione non ei committitur clauus, qui natalibus, aut forma, aut vi diuitiarum cæteros anteuenit, ſed qui peritia gubernandi, qui vigilatia & dexteritate præſtat: Ita regni adminiſtratio ei potiſſimum

commîttenda eſt, qui regijs dotibus anteit reliquos, putà, prudentia, iuſtitia & egregia animi moderatione.

CCLXXV.

Statim formandus Princeps.

Non æquè commodum formandi corrigendiq; principis tempus, quam cùm ipſe nondum ſeſe principem eſſe intelligit. Itaque inprimis hoc occupandum eſt, non tàm vt à turpibus arceatur, quàm vt certis quibuſdam virtutum decretis imbuatur.

CCLXXVI.

Excellentia Principum in quibus ſita

Quantoperè principũ vulgus ſtudet abeſſe à cultu victuque plebeio, tantoperè verus princeps debet abeſſe à ſordidis opinionibus vulgi, imò ſolum hoc ſordidum, vile, ſeque indignum ducat, cum *plebecula* ſentire, *cui nunquam optima placuerunt.*

CCLXXVII.

CCLXXVII.

Quæ ad officia bellica maximè ſpectent.

Ad officia bellica vel maximè ſpectant duo illa præcepta Platonis, quæ illis, qui Reipub præfuturi ſunt, præſcribuntur: Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt, quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, vt totum corpus Reipub. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa gerenda eſt. [*Plut.*] Vnde Callicratidas Lacedæmoniorum Dux, meritò reprehenſus, qui vniuerſæ claſſis, quàm priuatæ gloriæ iacturam facere maluit. Atque item Cleombrotus, qui inuidiam timens, temerè cum Epaminonda conflixit.

Rectiùs

Rectiùs Fabius Maximus, qui ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm ſecundâ famâ malè rem gerere.

CCLXXVIII.

Imperatori liberum arbitrium permittendum.

Delato alicui imperio, neceſſariū eſt, liberum illi de ſumma rerum ſtatuendi arbitrium permitti. Neque enim fieri poteſt vt is, qui ex alieno metu & voluntate pendeat, magnū aliquid præſtet. cùm quia difficile Principi aut Reipub. eſt ea, quæ oculis ſubiecta non ſunt, ſuo iudicio adminiſtrare, vbi caſtra locanda, loca præſidijs occupanda, deniq; quando cum hoſte confligendum, quando quieſcendum ſit, præſcribere, & è terra, quod aiunt, gubernare: tùm verò quia *puncto temporis maximarum rerum occaſiones vertuntur, cuius vbi ſemel*

mel prætervolat opportunitas, necquicquam mox omiſſa quæritur. [*Livius.*]

CCLXXIX.

Non poteſt amor cum timore miſceri.

Sapienter Prætextatus, *qui colitur*, inquit, *etiam amatur: non poteſt amor cum timore miſceri.* Vndè putas arrogantiſsimum illud manaſſe prouerbium, quod iactatur, Totidem nobis hoſtes eſſe, quot ſeruos? non habemus illos hoſtes, ſed facimus, cum illis ſuperbiſsimi, contumelioſiſsimi, crudeliſsimi ſumus.

CCLXXX.

Obſequio ſubditorum mitigantur imperia.

Principum clementia & lenitas non in ipſorum modò, qui imperant, ſed & eorum, qui parent, ingenijs ſita eſt. *Obſequio* enim *mitigantur imperia.* [*Q. Curt.*

[*Q. Curt.*] Vbi verò reuerentia exceſſit animis, & ſumma imis confunduntur, vi opus eſt, vt vis repellatur. & in ordinem immodeſtia ſubditorum redigatur.

CCLXXXI.

☞ *Agendi ratio alia belli, alia pacis temporibus conuenit.*

Vt in nauis adminiſtratione alia in ſecunda, alia in aduerſa tempeſtate vſui ſunt: ita in omnibus actionibus maximã temporum rationem habendam cenſeo, & aliter in medio ardore belli, aliter in tranquilla pace arbitrandum. Quemadmodum maiores noſtros videmus ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe, & ſemper ad nouos caſus temporum, nouorum conſiliorum rationes accommodaſſe. Enim *neceſſe eſt in magna aliqua conturbatione perturbationum ac rerum, temporibus potius, quàm moribus parère.* Et hoc eſt,

quod ſæpè Hiſtorici in Q. Fabio Maxim. & M. Marcello, in Octauio Cæſare Cicero laudat, qui non expectato ſenatus decreto, bellum contrà Antoniũ ſuâ ſponte ſuſceperat [*Philipp. 3.*] Decernendi enim tempus, vt ille ait, nondũ venerat: belli autem tempus ſi prętermiſiſſet, videbat Repub. oppreſſa nihil poſſe decerni. Silent ergò nonnunquam leges inter arma, nec ſe exſpectari ſinunt, cùm ei, qui exſpectare velit, antè pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Supremo enim iure, quod Iupiter ſanxit, omnia quæ reipub. ſalutaria ſunt, legitima & iuſta habentur. [*Cic. Philipp. 8.*] SALVS Pop. ſuprema LEX eſto.

CCLXXXII.

Monarchiæ quare libera Respub. præferenda.

Ariſtocratiæ ac liberæ Resp. fermè diu-

mè diuturniores ſolent eſſe, quàm quæ vnius tantùm imperio gubernantur. Habent enim illa multiplicia, eaque longè diuerſiſſim[illegible] ingenia, quæ varijs temporum oc[illegible]nibus accommodari poſſunt. [illegible]pes & reges cùm natura ſua ad certũ quendam agendi modum feruntur, eum mutare nequeũt, quamuis temporum diuerſitates id maximè requirant. Q. Fabius Max. natura cantator, non iudicio, temporis beneficio magnam gloriam meruit, cum ſedendo Pœnorum arma fregiſſet. Idem tamen naturam ſecutus, non fortunam Romanorum, qui vires ſuas recuperauerant, in eâdem ſententia perſtitit, & Scipioni Africam cum exercitu petenti contradicebat, cùm tamen ea ſola ratio eſſet trahendi ex Italia Annibalem, vt euentus docuit: & Scipio ſi eâ tempeſtate quà Fabius Annibali obiectus fuiſ-

ſet, haud dubiè pugnæ ſtudio rem Romaná afflixiſſet. Quare Fortuna rectè prouidit, vt ille arcendis periculis, hic commodiore rerum ſtatu pugnando victoriam ambo obtinerent.

CCLXXXIII.

Conſiliorum robur idem ſentire.

Cùm in omnibus deliberationibus & conſultationibus, tùm maximè in bellicis ſaluberrimum eſt, vt vnum omnes ſentiant, neque diſſenſione & pertinaciâ propriæ opinionis (quæ plerumque rem in ſummum diſcrimen deducere ſolent) bona conſilia corrumpantur.

CCLXXXIV.

Lentæ conſultationes perniciosæ.

In rebus arduis tardæ deliberationes perniciosiſſimæ eſſe ſolent. præſertim in bello, vbi non ſemel conſilium, alioqui per ſe tutum & ſalubre,

bre, mora temerarium & infelix factum legimus. Cuius rei documento fuère Lanuuini, qui cùm lentâ deliberatione tempus triuiſſent, Latinis victis, demum auxilium ferre cæperunt. Itaque cum portis egreſſus de clade Latinorum Milonius prætor eorum audiſſet, dixiſſe fertur, *pro paulula mora magnam mercedem Romanis eſſe ſoluendam. Nimirùm nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractum, ne, quorum tempus effugit, ea tum demum optima videantur.*

CCLXXXV.

☞ *Hoſtes inuicem diſſidentes non temerè inuadendi.*

Hoſtes ſeditioſos ſola diſcordiæ fiducia inuadere anceps & periculoſum prorſus eſt. *nullum enim maius concordiæ vinculum quàm timor externus.* Quare & Præneſtinos & Veien-

tes, multosq; alios vehementer impegiſſe legimus, cùm diſcordes inter ſe Romanos oppugnarent. Prudenter itaq; Scorio Dacorum Dux [*Cal. Rhodig. lect. antiq. lib. 9. c. 50.*] cùm ſciret ciuilibus armis diſtineri Pop. Roman. non tamen arreptâ eâ occaſione laceſſendum arbitrabatur, proſpiciens externo in bello inteſtinum plerumque reſtingui: & ſuorum animos, qui ſtudio pugnæ ardebant, lepidè repreſſit. Canes ſiquidem duos ipſis inſpectantibus commiſit, ijsque accerrimè pugnantibus lupum obiecit, quem Canes, omiſſo mutuo certamine, alacriter inuadentes confecêre.

CCLXXXVI.

Exempla.

Non tantum mali eſt, peccare principes, (quanquam eſt hoc magnum per ſeipſum malum) *quantum illud, quod*

permulti

permulti imitatores principum exiſtunt. nam licet videre; ſi velis replicare memoriam temporum, qualescunque ſummi ciuitatis viri fuerunt, talem ciuitatem fuiſſe: quæcunq; mutatio morum in principibus extiterat, eandem in populo ſecutam eſſe. [*Cic. 3. de LL.*] Idque haud paullò verius eſt, quàm quod Platoni placuit, qui Muſicorum cantibus ait mutatis, mutari ciuitatum ſtatus. [*Plato.*] *Ego autem nobilium vita victuque mutato, mores mutari ciuitatum puto.*

CCLXXXVII.

Fraudis qui ſecuri.

Sæpè audiui, nullos mortalium facilius decipi, quàm callidos illos, acriculos & verſutos, nullos autem fraudibus minus patere, quàm rudes, imperitos, &, vt vno verbo dicam, illos lucumones. Quod magnũ

mulis animum explorant, quàm aduerſa, quia miſeriæ tolerantur, felicitate corripimur. Quod intelligens Abdolominus è regia quidem ſtirpe natus, ſed admodum inops, rex ab Alexandro Sidonijs datus, rogatusque, quo animo tantam paupertatem tuliſſet, reſpondit, *vtinam eodem regnum pati poſſim.* [*Q. Curtius & Arrianus.*] *Fit enim plerunq; vt rebus proſperis inſoleſcat animus humanus, vt iam nec ſe, nec alios moderatè ferre poſſit.*

CCLXXXIX.

In iudicando merita cum delictis non penſanda.

Perſæ nunquam quenquam condemnabant, niſi ſi reus conuinceretur, plus mali, quàm boni in Remp. patraſſe. [*Diodor. Sic. lib. 1.*] Romani contrà nunquam cuiusquam crimini indulgendũ, aut rationem virtutis habendam eſſe cenſuerunt. Quam-

uis rei maxima in Remp. merita exſtitiſſent. Itaq; M. Manlius Capitolinus reus affectati regni, quamvis ſolus (omnium confeſſione) defenſo Capitolio Romani Imperij Seruator fuerat, nihilominus tamen crimen valuit, & populi iudicio de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. [*Liuius.*] Et P. Horatius, qui & ipſe ſolus ſua virtute Imp. Pop. Rom. vindicârat, ob interfectam ſororem in magno periculò fuit, plusque ad ſalutem ipſius profecerunt preces & miſeratio patris, quàm recens rei beneficium.

CCXC.

Quomodo conſilium capiendum.

In deliberatione tua & in omnibus ſententijs, quæ in deliberationem veniunt, adeſſe hæc duo oportet, poſſe illud fieri, atque vtile eſſe. Hæc enim duo ſi non adſint, infirmum conſilium eſſe & temerarium

ſtatim.

ſtatim deprehenditur, & quaſi antè oculos illius vitium cernitur.

CCXCI.

Potentes miniſtros accuratiùs, quàm ipſos principes colendos eſſe.

Qui propria nituntur potentia, ij neque ſalutationes aut hæc obſequia valdè requirunt, &, ſi omiſſa fuerint, vitio non vertunt, ipſi nempè conſcij, contemtu ſui hoc non factum. [*Dio. in Tiberio.*] Qui verò fuco & adſciticio ſplendore vtuntur, ij omnia talia magnoperè & tanquam ad dignitatis ſuæ culmen pertinentia, requirunt, & niſi conſequantur, grauiter ferunt, vt abiecti, & quaſi iniuriâ adfecti iraſcuntur.

CCXCII.

Gradus pœnarum faciendos.

Decet Præſides & magiſtratus, quamdiu poteſt, verbis, & his molli-

bus ingenia curare. tranſeat deindè ad triſtiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret, nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles decurrat. *Vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quē perire pereuntis etiam interſit.*

CCXCIII.

Magiſtratus fauorem non inſuper habendum.

Omninò cauendum eſt, ne magiſtratus alieniore ergà te animo fiat, nec eſt, quod innocentiæ tuæ confidas, quaſi ſis ijs moribus atque ea vitæ integritate, vt nunquam te eius cenſuræ ſubiectum iri exiſtimes, multa enim atq; ea inopinata accidunt, ob quæ operâ eius indigeas.

CCXCIIII.

Miniſtri dominos nonnunquam rectè mutare.

Cùm

Cùm cottidiè videamus etiam fideles nonnunquam miniſtros à dominis ſuis negligi & dimitti, quoties idcunque animus & vtilitas ſuadet: miniſtris illud minimè vitio dandum puto, ſi & ipſi rationem aliquã commodorum ſuorum habeant, & ſi melior quandoq; Phœbus illis affulſerit, mutent dominos, & ſua fortuna vtantur. ſaluo tamen & honore, & fide ſui. [*Quiciard.*]

CCXCV.

Blanditias auidè accipi, cur?

Incredibile eſt, quantam gratiam & fauorem blanditiæ & verba multâ humanitate condita concilient. Cuius ratio hæc eſt, quòd *vnusquisq; de ſe exiſtumet honorificentius, ac maiore ſe reuerentia dignum cenſeat, quàm meretur* itaque indignatur, ſi alios non ita magnificè de ſe ſentire ſentit, quàm virtutibus & magnitudini ſuæ deberi falsò

ri falsò ſibi perſuades. [*Quicciard.*]

CCXCVI.

Promiſſa ſine effectu vtilia quidem, minus tamen honeſta.

Excelſi & generoſi animi eſt, nil promittere, quod præſtare aut nolis aut non poſſis. [*Quicciard.*] Quia tamen plerique ſi quid & iuſtè & cum ratione deneges, ægrè ferunt, & in bilem rapiuntur: contrà autem ſi largè nec difficulter promittas, mirâ beniuolentiâ & fauore tibi conciliantur, petitionibus eorum qualitercunque eſt aſſentiendum. Nam & multa intereà accidunt, vt promiſſis nil opus ſit, & ſemper excuſationes in promtu erunt, quibus & fidem omninò liberes, aut data occaſione voluntati eorum obſecundes.

CCXCVII.

Prouidè promittendum.

Tam

Tam eſt turpe fidem fallere, vt eius turpitudinis cogitatio, omnem vtilitatẽ, quæ inde promanat, longo interuallo ſuperet: [*Quicciard.*] quare vt reſponſis generalibus & ſpe plenis rogantibus ſatisfaciat, omninò operam dabis. Prudenter tamen cauebis, ne ijs te expreſſim obſtringas, vel vllam rem præcisè promittas.

CCXCVIII.

A moleſtis & inuidioſis verbis abſtinendum.

Omnia ea cauenda ſunt, quæ damnum certum, nullam vtilitatem comitem habent [*Quicciard.*] Igitur nunquam, niſi re vrgente, ea loquaris, quę audientibus moleſta ſunt futura. Quid enim ſtultius, vbi nulla cauſa ſubſit, inimicum ſibi facere? atque hæc ideò dico, quòd (neſcio qua animi impotentia) vel prudentiſſimi quiq; grauiter hâc in re impingant.

CCXCIX.

attollunt, rurſumq́; deÿciunt. [*Polybius.*] *Re enim verâ iſti adſimiles ſunt abacorum calculis, qui vt, ſecundum voluntatem calculatoris, modò obulum æreum, modò talentum valent: ita Aulici, ad nutum principis modò beati, modo miſeri & infelices fiunt.* Proptereà rectè & ſapienter Sidonius, periculoſam omniũ regũ familiaritatem eſſe dixit quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarũ naturę benè comparat, *quæ ſicut paululùm à ſe remota illuminant, ita nimis ſibi admota comburunt.*

CCCI.

Omnium imperiorum fatales periodos eſſe.

Cùm repetimus omnem omniũ temporum memoriam, certò conſtat, nullam vnquam Rempub. potentem vltrà quingentos annos floruiſſe: plurimas terminũ hunc non perti-

pertigiſſe, pauciſſimas imò verius nullas ſuperaſſe. Sed velut in punctiſtitio anni quingenteſimi aut mutaſſe, aut deletas, aut denique aliò translatas eſſe, Adeò omniū regnorum mutationes in quingenteſimum annum inciderunt, aut certè non multum exceſſerunt. Sic Aſſyrij per 520. annos tenuerunt Aſiam, poſteà Medi eam inuaſerunt. [*Herod. lib. 1.*] Romani pòſt regifugium 500 annis vſque ad Auguſtum per Coſs. imperarunt.

CCCII.

Neminem vnum ad finem vsq; floruiſſe.

Etſi omnium mortalium fortunam atque vitas excutias, neminem tamen reperies, qui cùm antè maximis virtutibus & longè ſecundiſſimis rebus vſus ſit, tandem non inſigni aliquo imbecillitatis fragilitatisque

que humanæ confinio fuerit læſus. Adeò *nullius vnquam tanta virtus, tanta potentia, aut felicitas fuit, quæ tandem non incurrerit, & fuerit collapſa.* Exempla in Saule, Salomone, Gedeone, Themiſtocle, Cyro, Alexandro, Pompeio, Cicerone, Iul. Cæſare, & innumeris alijs habemus.

CCCIII.

Nota regni mox ruituri.

In rerum geſtarum lectione, ego hoc maximè obſeruaui, omnium rerumpub. ruinam quatuor hæc velut ſigna antecedere, immanem luxuriam, religionis mutationem, factiones & diſcordias inter optumates, & denique atrocium delictorum & ſcelerum, exſertam licentiam atque impunitatem. Cuius rei documentum in Lacedæmoniorum Romanorumque, mox ſequuturã Germaniæ noſtræ ruinam habebimus.

Digitized by Google

CCCIV.

Principis doctrina, de vno non nimium augendo.

Non eſt ſapientis principis, ſi ſibimet accerſit periculum, vt alterius quem euexit, authoritas conſeruetur, neque mauult ſecurè viuere omnibus amabilis. [*Papirius Maſſonius in tab. ænea.*] Non eſt prudentis principis, qui in vnum omnia congerit, vt ceteri egeant. Non eſt iuſti principis, ſi magis inſeruire cupiditatibus vnius, quàm omnibus gratificari cupit. Fatui eſt principis ſi obnoxius eſt vni, contemtis conſilijs reliquorum. Audacis & temerarij, qui vt amet vnum, ſeſe reliquis omnibus inuiſum facit.

CCCV.

Qualibus legatis in re militari vtendum.

Paci

Pacis tractatio prudentibus atque
ſdis hominibus eſt committenda. e-
os autem à legatione reuerſos ſepa-
atim principes audire debent. ne, ſi
ninus iucunda renuncient, ea res pa-
iorem & trepidationem populo af-
erat. *Sunt enim omnes cupidi rerum no-
arum, & non deſunt, qui cum familia-
iter nôrint legatos, audeant ſibi polliceri,
ore, vt omnia reſciſcant.* Verùm ſi iudi-
io præditi ſint illi, cauebunt modis
mnibus, ne quid effutiant, quod vel
ienationem animis, vel terrorem
xcitare poſſit. Hoc ideò dico, quòd
rincipes non rarò circumueniri à
iis in eiuſmodi actionibus videa-
us, illos præſertim, qui præ faſtu &
rogantia, quæ ſit aliorum ſenten-
a, non auſcultant. Nam qui ſe de-
ittunt, ac conſilia aliorum liben-
r agnoſcunt, ij minus fallûtur. [*Phi-
p. Commin.*]

CCCVI.

CCCVI.

Tyrannorum nimius amor malæ cogitationis nota.

Habent hoc peculiare omnes ty-
ranni, vt amicos, quos ad ſummu
dignitatis & diuitiarum culmen f
uore ſuo euexerunt, pòſt paulò po
tentiam & felicitatem eorum faſ
dientes, bis tantò incipiant odiſſ
quantò anteà amarunt. Quos cù
euertere palàm non poſſint form
dine inuidiæ popularis, multò m
ximum ergà illos amorem ben
uolentiamque oſtentant, vt hoc m
do planè dementatos faſcinatoſ
in faſtum aut aliud facinus malu
impellant, quo meliorem cauſa
habere videantur illos opprimen
quod naufragia multorum teſtantu
quos *inſidioſa tranquillitate proue*
improuiſus turbo perculit. Sic Ne
Claudius paulò antè, quàm ad m

tem Senecam compulit, petente Senecâ miſſionem, & complexu & oſculis, fallacibus blanditijs, odium ſuum velauit. [*Tacitus.*] Sic *Domitianus, Eum ſemper impenſiſſimè ſe diligere ſimulabat, quem maximè interemtum vellet.* [*Dio in Domit.*] Nullum igitur mare tàm infidum, quàm blanditiæ illorum fuère, quibus tanta leuitas, tanta fraus, *vt facilius eſſet iratos, quàm propitios eos habere.* [*Plin. in Panegyr.*]

CCCVII.

Vulgo præſentia ſemper ingrata.

Inſitum hoc eſt à natura omnibus, vt præſentem felicitatem aut ſtatum reipub. nunquam verè æſtiment aut ferant, ſed ſpretis præſentibus aut veteribus, ſubinde noua expetant, ſtudeantq́ue, odio rerum ſuarum, omnia mutari: quæ tamen ipſa, vbi ex oculis & conſpectu ſublata ſunt, votis & ſupplicijs muliebribus nequidquam repetunt & requirunt. [*Thucyd.*

cyd. lib. 2. & 3.] Athenienſes, cùm Periclem viuentem iniuſtè multaſſent, quòd non ad arbitrium eorum rempub. gubernaret, pòſt mortem eius, maximis malis per nouos duces oppreſſi, tùm demum ingenti deſiderio memoriam eius repetierunt, [*Plut. in Pericle.*] cùm quidem omnes faterentur, neminem vnum potuiſſe in tanto faſtigio moderatiorem, neq; in tanta manſuetudine grauiorem ſe præſtare. Itaque, quem anteà tyrannum: paulò pòſt Præſidium & Scutum Reipub vſurparunt.

CCCVIII.

Nullius non ſuſpecta nobis amicitia debet eſſe in negotijs publicis.

Bias Prienenſis *ita homines in vſu amicitiæ verſari iubebat, vt meminiſſent, eam ad grauiſſimas inimicitias poſſe conuerti.* [*Val. Max. lib 7. c. 3.*] Quod quidem præceptum etſi prima ſpecie nimis

nimis fortaſsè callidum videatur, inimicumq; ſimplicitati qua præcipuè familiaritas gaudet & delectatur: tamen ſi altioribus animis cogitatio demiſſa fuerit, & ſi memoriâ repetemus, quantæ quamque multæ ſæpè fraudes & deceptiones ſub velo maximæ amicitiæ nonnullos magnos & excellentes viros peruerterint, perquàm vtile reperietur. Quod vel ſolius M. Ciceronis miſerabilis fortuna (in quam Cæſar & Pomp Magnus per Clodium, illum demerſerunt.) abundè apud Dionem demonſtrat. *Diod.lib.36. Hiſtor.*]

CCCIX.

Omnes timidi, macilenti, & colore lurido, maximè ſunt metuendi.

Dubio omni caret, homines macilentos, timidos, & liuido colore omnium maximè cauendos & obſer-

uandos eſſe. Cùm enim vt plurimum timiditas ſuſpicionem pariat, ſuſpicio autem incitatiſſimâ auiditate quaſcunque delationes & calumnias arripiat, & promtè admittat, fit, vt muliebri quâdam impotentiâ in odia & ſimultates atque vltionis cupiditatem non trahantur, ſed rapiantur Cl. Cæſar, Domitianus, Vitellius, Commodus, Iſaacius Angelus naturâ ſuâ omnium timidiſſimi fuêre, ſed ijdē etiam crudeliſſimi. Iul. Cæſar cùm monitus eſſet, vti ſibi à Dolabella & Antonio caueret, reſpondit, non ſe craſſos aut obeſos & ebrios illos valdè metuere, ſed pallidos illos & macilentos: Caſſium & Brutum notans. [*Sueton. in Cæſ.*] Mauritius Imperator in ſomno edoctus, interfectum ſe à Phoca iri: percunctatus eſt, qualis nam eſſet Phocas? dicentibus, non eſſe quod à Phoca mali ſperaret, quippè homine timido & parum

parum forti: ſi timidus eſt, inquit, crudelis & parricida eſt. *Omne enim timidum ad cædes & ſcelera pronum & promtum fertur.*

CCCX.

In rerum mutatione fatum conſilia noſtra ſibi aptat.

In omnibus fermè magnarum rerum conuerſionibus euenire id prudentes obſeruarunt, vt principum & magnorum virorum mentes etiam ab amentia remotæ, tàm pericula, quàm etiam remedia mali iuſtà æſtimatione non perpendant. Sed ſpretis & poſthabitis ſalubriter conſulentium monitis, vecordium ſtolidiſſimorumq; ſycophantarum conſilijs vtantur, quæ illos in communem perniciem & ruinam regni trahunt. Sic Artabani prudens oratio apud Xerxem, Græcorum ducum apud Darium, Crœſi apud Cyrum,

Herennij patris apud Pontium Samnitium ducem, conſilia non valuerunt, quæ res illis omnibus graui exitio fuit. vt meritò dicendum videatur, *cuiuſcunq; fortunam mutare conſtitueri Deus, illius conſilia prius corrumpere* ut (quod omnium miſerrimum id, *quod accidit, etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.* [*Velleius lib. II.*

CCCXI.

Præſtantium virorum mortes magna turbamenta in regnis ſequuntur.

Quemadmodum remotis gubernatoribus nauim frangi: magnaq; & eminentia ædificia ſubrutis columnis collabi neceſſe eſt, ſic futurarum calamitatum, & imminentium malorum minimè fallax indicium eſt, quando viri graues & ſpectati, quorum prudentia & dexteritate, inprimis verò vitæ ſanctimoniâ publica res

velut

velut ſuffulta diu ſtetit, vitâ decedant. rarùm eſt, vt non inſignis mutatio in religionis cultu, aut morum conſuetâ ratione ſubſequatur. Ita & Thebis, póſt Epaminundæ exceſſum, & Athenis pòſt Periclis, in Eccleſia autem pòſt Auguſtini atque Ambroſij mortem paſſim cuncta in præceps iuerunt.

CCCXII.

Mediocritas haud diuturna.

Non imperia tantùm, ſed in vniuerſum, quidquid omnium rerum humanarum ſub Sole verſatur, quà publicè, quà priuatim, raró in medietatis ſtudio ſtare diu ſolet, aut poteſt. [*Syneſius.*] Sed ſubitò in alterutrum extremorum, ſiue maximè bonum, ſiue ſummè malum præcipiti curſu fertur. Hoc & imperiorum, & religionis, & morũ publicorum, denique rerum omnium mirabiles viciſſitudines teſtantur.

CCCXIII.

Seditiones non de paruis, ſed ex paruis rebus naſcuntur.

Omnes fermè ſeditiones non de paruis ſed ex paruis rebus exoriuntur. [*Ariſtot. lib. 5. c. 4. pol.*] magna enim profectò ſunt, de quibus diſſident inter ſe ciues, & armis etiam caſtriſque decernunt. maximè tamen acres & validæ ſunt etiam paruæ, cum in ijs, in quorum moderatione Reſpub vertitur, exſiſtunt. veluti priſcis temporibus Syracuſis olim accidit. Status enim Ciuitatis mutatus eſt duobus tantùm Iuuenibus, qui magiſtratum gerebant: cùm inter eos de re amatoriâ diſſenſio orta eſſet. Altero enim abſente, quidam eius ſodalis, puerũ, delicias eius & amores, ad ſe pellexit. Ille autem reuerſus, huic iratus, eius vxorem ſibi conciliauit, vnde cunctis, qui in Rep. verſabantur, ſibi adiunctis

unctis, reliquos ciues omnes ad ſeditionem perpulerunt.

CCCXIIII.

Principum diſcordias illicò frangendas eſſe. Et, Principium dimidium totius.

Cùm igitur nobilium & clarorum virorum diſſenſiones penetrent in vniuerſam ciuitatem, faciantque, vt qui initiò integri erant illiusque mali quaſi ieiuni, ipſum deguſtent, propterea talibus offenſionibus naſcentibus ſumma cautio adhibenda eſt, vt diſſenſiones & diſcordiæ principum Reipub. ceterorumque qui magnas opes illic habent, ſtatim dirimantur. [*Ariſtot. lib. 5. c. 4. pol.*] *At principium dimidium totius eſſe dicitur.* Itaque & quod peccatum in eo commiſſum, paruum & leue eſt, ijs peccatis, quæ in alijs partibus admittun-

ter, proportione reſpondet. quale illud eſt, quod Heſtiææ accidit poſt bellum Perſarum, nato inter duos nobiles fratres de bonorum paternorum diuiſione, diſſidio Nam is, cuius res familiaris erat anguſtior, cùm alter rem à patre relictam non exhiberet, neque theſaurum, quem pater inuenerat, proferret, populareis aduocauit, ſibique adiunxit, alter rei familiaris copijs abundans, locupleteìs. Sic & Delphis orta ex affinitate diſſenſio, fons & principium omnium, quæ poſterius coortæ ſunt, ſeditionum fuit. Quidam enim captato augurio & conſultis auſpicijs, neſcio quid ſiniſtri ſibi portendi auguratus, vt ad ſponſam venit, eâ repudiatâ, diſceſſit. At puellæ propinqui tanquam contumelioſè tractati atque accepti, intereà dum ille ſacrificaret, res quaſdam ſacras in eum locum, vbi ſacrificabat, occulte conic-

coniecerunt, deindè eum, vt ſacrilegum necanerunt.

CCCXV.

Cur Reſpub. ſæpè ab auctoribus ſuæ felicitatis peruertantur.

Nemini omninò obſcurum debet eſſe, omnes illos, per quos ciuitati potentia aut alioqui inſignis victoria parta eſt, ſiue priuati fuerint, ſiue magiſtratus, ſiue tribus, ſiue deniq; pars aliqua ciuitatis, manusúe ac numerus ciuium, originem initiumq́ue eſſe diſcordiarum, magnarumq́ue in ciuitate turbarum. [*Ariſtot. Lib. 5. pol. c. 4.*] Non quod ipſi, qui præter cæteros inſigniter Remp. iuuerunt, auctores ſemper ſint ſeditionum, verùm aliquando etiam ij, qui ferre æquo animo non poſſunt, illos propter merita & virtutem ornari. Aut igitur hi ipſi, qui flagrant inuidia, capita ſeditionũ erunt, aut qui profue-

runt valdè Reipub non poſſunt contenti eſſe ijſdem honorum gradibus, quibus alij, impares virtute meritisque ſuis ergà Rempub. fruuntur. Vtriusque mali crebra exempla paſſim exſtant, Iul. Cæſar, cùm pòſt tot victorias, pòſt tot tantasque bellicoſiſſimas ſubactas nationes, inuidia aduerſariorum & triumpho & conſulatu fraudaretur cæteros autẽ quorum nullum inſigne meritum in patriam exſtabat, ampliſſimis dignitatibus frui videret, armis ciuilibus Rempub. conturbauit [*Plut. in Caſ*] Athenienſes verò cùm nimios honores in Themiſtocle & Pericle non ferrent, vtrumque, illum quidem exilio, hunc autem magiſtratu, ſed non ſine calamitate publica multarunt. [*Thucyd.*]

CCCXVI.

Vulgum

Vulgum ſemper acrius priuatis quàm publicis calamitatibus moueri.

Verè & ſapienter ab Annibale dictum, *Tantum ex publicis malis hominum vulgus ſentire, quantum ad priuatas ipſorum res pertingit, cetera veluti aliena inſuper habere & ducere* [*Liuius lib. 30: in orat. Annibal.*] Populus Carthaginenſis cùm & triremes & arma, libertatem denique omnem ciuitati ſuæ ademtam æquis animis tranſmiſiſſet: nec ob inermem ac nudam inter tot armatas gentes Africæ, Rempub. ingemuiſſet, tandem, cum tributum ex priuato conferendum eſſet, tanquam in publico funere vniuerſi complorare cæperunt. *Adeò in publicis calamitatibus nihil quidquam acrius ſtimulat ciuium animos, quàm priuatum pecuniæ aut alterius boni damnum.*

CCCXVII.

Delictorum Impunitas.

Certum & minimè fallax ſignum Reipub. mox ruituræ eſſe dico, quando turpia exempla nimis latè vagantur neglectio & contemtus diſciplinæ ſuprà modum auget, & prætereà rarus in puniendo magiſtratus exiſtit. tùm demum toti regno aut ciuitati terminus ſuus propè abeſt. Lacedæmones cum nollent punire nefarios adoleſcentes, qui ſtuprauerant per vim filias Scedaſi, in ipſo facinoris loco victi, cum libertate omnem vim & potentiã ſimul amiſerunt. *Nimirum tunc malorum vltimum eſt, & conſummata infelicitas, vbi mali mala ſua amant, vbi inquam, turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent. & deſinit eſſe remedio locus, vbi, quæ anteà vitia fuère, mores fiunt* [*Seneca.*]

CCCXVIII.

CCCXVIII.

Regni iam paulatim labentis nota.

Vt in ægro corpore Medici pro lethali ſigno habent, cùm æger iam non amplius morbũ ſentit, nec quid in toto corpore doleat, ſcire poteſt: Sic, *quando publicæ calamitates non ſentiuntur amplius aut metuuntur, certũ eſt inſtare totius regni aut Reipub. extremam euerſionem.* His ſignis Alexander magnus, magis, quàm vllâ re alia inuitatus, Aſiam & Darium, cum iam nimijs voluptatum delicijs totus obbrutuiſſet, aggreſſus eſt, & quod voluit, perfecit [*Q. Curt. & Plut.*] Pompeiani, paullò antè vltimam illam cladem, tàm ſecuri ab omni metu fuêre, vt intèr apparatus magnificentiſſimos de ſummis magiſtratibus in vrbè gerendis conſilia tractarint. [*Iul. Cæſ. de bell. ciuil.*]

CCCXIX.

CCCXIX.

Κακοζηλία rarò felix.

Meo iudicio, valdè decipiuntur homines ambitioſi & qui naturali quodam ſtudio & cupidine laudis ac gloriæ ducti præſtantium virorum (quos animas aureas & argenteas Plato habere dicit) motus heroicos æmulari conantur. Cùm enim heroica exempla ſint ſuprà regulam, mediocres homines continere ſe intrà regulæ metas debent. Ideò Plutarchus venuſtiſſimè inquit, *ineptos imitatores ſimiles eſſe pueris, qui induunt maiorũ ſuorum grandes cothurnos, galeas, thoraces,* [περὶ κακοζηλίας] quos nemo non ridiculos eſſe iudicaret, cum mutatis iam & profligatis moribus allegent exempla maiorum, & nunc huius conſtantiam, nunc alterius fortitudinem repræſentare laborent. Sic Demoſthenes Themiſtoclem ſe imitari putabat,

tabat, dum Græcos contrà Philippū, quemadmodùm ille contrà Perſas fecerat, exhortaretur. Cicero multis ſucceſſibus in Catilinaria actione infatuatus, eadem facilitate Antonium ſe oppreſſurum ſperabat. Sed ambo fruſtrati, ſibi & patriæ pernicioſiſſimas clades attraxère. Proindè diligenter monendi ſunt homines, ne parua & inepta imitatione inducti aut in maximas calamitates, aut certè in ludibrium & contemptum vulgi ſe protrudant: cuiuſmodi multos eſſe Polybius aſſerit: *Qui cùm non poſſint imitari egregia magnorum virorum, tantùm velut ſimiæ vitioſa eorum æmulantur, atq; ita in beſtiarum magnarum ſuam ſtultitiam producunt.* Qualis, in magna illa ſeditione Romana, quâ plebs ſeceſſionem à patribus fecerat, L. Iunius, vir valdè turbulentus & ſeditioſus, extitit, qui quoniam eodem nomine vocaretur, quo Iunius ille,

qui reges expulerat, vt appellationis ſimilitudinem totus expleret, ſe etiã Brutũ vſurpari voluit. Verùm multis inane illius ſtudium & ineptam affectationem ridentibus, ſi qui irridere & ſubſannare hominẽ volebant, Brutum vocabant. [*Dionyſ. Halyc. lib. 6.*] Ita multos legimus, cùm Craſſi (qui orator & excellens & heroicus, ſolitus eſt pedibus ſtrepitũ quendam excitare) in dicendo eloquentiam aſſequi non poſſent, ſupploſionem pedum imitatos eſſe. [*Cic. in lib. de Orat.*

CCCXX.

Libertatis pertinax amor.

Quantum libertatis & quàm pertinax ſtudium apud ciuitates ſit, ſuperius à me oſtenſum eſt. hoc nunc addo, tutius totam quàm partem eius aliquibus populis adimi ſolere. Franciſcus primus Rex Galliæ, cùm oblatis hoc fine ducentis millibus au-

:eorũ, clientelâ Geneuenſes liberare :ecuſaret, tandem rebellandi occaſione oblatâ ſponte iugum excuſſerunt. Alerutrũ itaq; à Franciſco factum oportuit, aut liberos habere ſocios, aut penitus ereptâ Reip. adminiſtratione, ſubditos in officio cõtinere. [*Bodinus lib. 5. de Rep. c. 6.*] *Non enim ſperandum eſt, in obſequio contineri poſſe vllum populũ, qui ſemper anteà liber fuerit, niſi exarmatâ prorſus Ciuitate, & firmo in illâ præſidio relicto.*

CCCXXI.

Benefic a lenta.

Omnes hoc politicos in pectus ſuũ demittere velim, Ita dandũ eſſe benificiũ, vt ne captatrici mente, aut cõmodi magis quàm officij ratione benificiũ dediſſe videantur. Totũ enim corrumpit, qui vel partem eius aſperè & faſtidiosè, ſuperbè & lentè largitur. plerique enim eo ſunt ingenio

nio homines generoſi, vt æquiore animo ferant. *Præcisè quid ſibi negari, quam lentè dari.* & hoc eſt, quod Seneca ait. *Beneficium neceſſarium ſed ſuperbe datum eſſe ſimile pani lapidoſo.*

CCCXXII.

Omnis tyrannus adulator.

Nullus eſt, qui diligenter monumenta hiſtoriarum perſcrutetur, qui non videat, manifeſtè ex plebis adulatore omnem tyrannum fieri, & compendioſiſſimã viam eſſe ijs, qui ciuitatis alicuius libertatem opprimere ſtudent, eam quæ per peſſimorum ciuium fauorem ad potentiam ducit. [*Dionyſ. Halycarn. lib. 6. Antiq. Rom*] Quum enim *iucundius ſit multitudini, intemperanter & inordinatè, quã temperanter & modeſte viuere,* [*Ariſtot. lib. 6 pol. c. 4. inf.*] tyrannidem affectantes, hoc inprimis operã dant, vt plebeculam multis & crebris largitioni-

girionibus emercatam, licentiaque nimia viuendi effrenatam, totam in ſuos vſus cònuertant & abutantur: exempla in Piſiſtrato, Cimone, Periandro, Pericle, Agathocle, Pomp. Cæſare.

CCCXXIII.

Ducis militaris vtilitas.

Nulla re ad felicem victoriam ex prælijs reportandam æquè opus eſt, atq; bonis ducibus. [*Dionyſ. Halycar. lib. 6. Antiq.*] Numeroſæ enim copiæ, ſi nacti fuerint duces imperandi minimè peritos nullum præclarum facinus faciunt, & ſæpiſsimè ipſemet ſuarum cladium ſunt autores, & tanto magis conflictantur, quanto maior eſt earum numerus. At egregij imperatores quamuis exiguas habeāt Copias, tamen celeriter eas & numero & rebus omnibus neceſſarijs augent. Sic C. Marius exiguâ manu, innumerabilem

bilem Venetorũ multitudinem, Cæſar Gallorum, Alexander Perſarum, feliciter debellârunt.

CCCXXIV.

Omnes Imperiorum propagationes ferè à Septentrione.

Memorabile eſt & digniſſimum obſeruatu, pleraſque omnes expeditiones & propagationes regnorũ à Septentrione in Auſtrũ, & rarò contrà factas eſſe, ita quidem, vt paucas omninò victorias ex omni memoriâ petere liceat, quas Auſtrales contrà Aquilonem obtinuerint, & hoc eſt, cur *multi ſapientes, non tàm metuendos Turcos putent, quàm Tartaros, ne in ditionem ſuam redigant Imperiũ Chriſtianorum.* Hic enim ordo & hæc ſeries deuictarum gentium legitur, vt Aſſyrij Chaldæos, illos Medi, Græci Perſas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gotthi Germanos, Turci Arabes,

bes, Tartari Turcas, Angli Gallos, Scoti Anglos ſuperarint.

CCCXXV.

Prudentum Conſilia.

Quemadmodum, qui in naui clauum tenet, quamuis non moueatur loco, nec remiget, aut vela ſeu rudentes curet, nec quæuis alia munia nautica obeat, plus tamen, quàm cæteri omnes ad nauis ſalutem & conſeruationem confert: ſic in Repub. ad amuſſim facta ordinataque (qualis hodiè Venetorum, Noribergenſium, aliorumque laudatur) multò multoque plura conſilio & prudentia ſua vel etiam ſedendo proficiunt ſenes in defendenda & conſeruanda ciuitate, quàm foris miles fortis & armatus. quales ſenes celebrantur, Phocion, Cato, Appius Claudius, Maſſaniſſa, Fab. Maximus, Coruinus, Fabricius, Coſinus Medices, & alij multi.

multi. Athenienſibus olim ad eligendum ducem conuocatis, cũ Chares quidam Iuuenis ferox & robuſto validoque corpore, Iphicrati valdè ſeni prælatus eſſet, ibi Timotheus princeps ſenatus ſurgens ciues monuit, vt talem non ducem eligerent, ſed qui duci ſtragulas ſuas portaret [*Plut. in Apoph.*] innuens, *ad Reſpub. defenſionem, tutius ſenes, qui ſapientiâ & peritiâ Iuuenes antiſtarent, admoueri, quã Iuueniliter ambitioſos & feroces.*

CCCXXVI.

Nimia prodigalitas maximum ſignum timiditatis.

Vt liberalitatis & munificentiæ laudatiſſimum nomen non niſi ex fortiſſimi & conſtantiſſimi pectoris canali profluit, Sic contrà, *inconſultæ & omnem modum exſuperantes largitiones aut verius profuſiones principũ virorum, non ex quadam virtute aut magnitudine*

gnitudine animi, ſed merâ timiditate proficiſcuntur. Timidi enim cùm deſtituantur virtute, cuius ope maieſtatem ſuam fulcire queant, conantur inani profuſione, quæ illis ſola reliqua eſt ſuſpectos ſibi homines placare & adiungere, quod animi excellentes, qui virtutis ſuæ conſcij ſibi ſunt, minimè faciunt. Artaxerxes Rex, cum paruiſſimi & timidiſſimi animi princeps eſſet, omnes maiores ſuos prodigalitate ſuperauit. Antonius Caracalla, pòſt Neronem (qui vno anno, 200 talenta auri contregit) abiectiſſimus tyrannus, cum metueret ne Imperio exturbaretur, cõtinuatis profuſionibus in prætorianos totum ærarium exhauſit. vt verè putandum ſit, *Quantò quis timidior & meticuloſior ſit, tantò enormiores pecuniarum profuſiones vſurpare.*

CCCXXVII.

Conci-

Conciliatores.

Hoc vt plurimũ fieri aſſolet, non inter priuatos modò, verùm etiam inter publicas perſonas maximè, vt qui pacis & tranquillitatis ſtudio cõciliationibus ſeſe interponunt, vtriusque partis odia, etiam proſperè feliciterque negotio confecto, incurrant, dum ab vtraque parte alterius cauſam fouiſſe & fauiſſe magis quàm ſuam creditur. Proindè Rex Alphonſus appoſitè de Mediatoribus dicere ſolitus eſt, *ſimiles eos eſſe illis, qui media ædium inhabitarent*, hos enim & à ſuperioribus lotio perfundi, & fumo vexari ab inferioribus. idem euenire perſonis medijs innuens. *Nam & odio premi inferiorum, poſt Conciliationẽ, & abijci ſuperiorum contemtu.*

CCCXXVIII.

Animi offenſi diſſimulatio vtiliſſima.

In com-

In communi hominum ſocietate, & conuerſatione, in qua multa ſubindè ingrata, vel aduerſa propter infinitam multorum improbitatem alteri accidere neceſſe eſt, nihil vtilius aut prudentius excogitari poteſt, quã *animi offenſi diſſimulatio*, cùm quis ab alio iniuſtè læſus, non illicò ad vindictam feſtinat, ſed rationi magis quàm iuſto dolori ſeruiens, aut incognitam ſibi iniuriam illatam ſimulat, aut iram ſilentio & taciturnitate transmittit. multi cùm hoc conſilio eſſent vſi, non multò pòſt vindictæ commodiſſimam occaſionem ſunt adepti (à qua tamen Chriſtiani prorſus abhorrere debebant,) aut etiam magnas ab illis ipſis vtilitates perceperunt. Numitor, cùm à fratre ſuo Amulio longè grauiſſimis iniurijs & ſceleribus eſſet oppreſſus, omnem tamen dolorem ſilentio & ſimulatione tegebat: donec tandem Ro-

mulo Remoque auxiliantibus, interfecto Amulio, iniuriam egregiè vltus, regnum, quod iure gentium ſibi vt primogenito debebatur, recipit. [*Dionyſ. Halycar. lib. 1. Antiq.*] Cicero, deſtitutus à Pomp. Magno, & in exilium actus, cùm æquo animo ad tempus Pomp. perfidiam tuliſſet, ab eodem poſtea magnificè dignitati ſuæ eſt reſtitutus. [*Plut. in Cic.*]

CCCXXVIII.

Miles extraneus & mercenarius.

Milites exteri & mercede conducti, cùm à principe aut Repub. aliqua ad ſocietatem belli, auxilij defenſioniſue cauſa, aut denique ad diſceptationem controuerſiarum velut arbitri inuitantur, *hi tales, præterquàm quòd plerumq; populatores terræ, quam à populationibus vindicare debebant, exiſtentes, omnia tanquam externa aut vrbeis hoſtium vrere, vaſtare, rapere, non iuberi,*

iuberi, non regi, ſed cuncta ex libidine ſua agere conantur, tandem etiam hoſtes vtriſque fiunt, & vel ijs, contrà quos accerſiti ſunt, principem ſuum produnt pro paullula mercede, aut certè hoſtibus debellatis, prædam partam prout collibitum eſt illis, cum ſocio rege partiuntur, ſæpè etiam illo oppreſſo, totum regnum ad ſe migrant. quod de Romanis ipſe Tullius prodere non dubitauit, illos defendendis ſocijs terrarum omniũ potitos eſſe. [*lib. 3. de Rep.*] ſic etiam Cyrus Aſſyriã, Saxones Angliam, Turci Græciam, Tartari Cairum, Italiam Gothi, Hiſpani Siciliam & Neapolitanum regnũ occupauerunt. *vt meritò cauendum omnibus principibus ſit, & exempla veterũ pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilijs, vt non plus ſui roboris, ſuarumq́ propriè viriũ in caſtris habeant.* [*Liu. lib. 25.*] Proindè magnificè Porus, cùm moneretur ab

amicis, vt auxilia à finitimis contrà Alexandrum M. peteret, *ſatius eſſe* reſpondit, *non regnare, quàm cum periculo, aliorum ſubſidÿs vti.*

CCCXXX.

Neceſſitas omnem legem & honeſtatem frangit.

In rebus arduis & adflictis non tàm ſpecioſa dictu, quàm vſu neceſſaria & vtilia ſequi debemus. [*Quint. Curt. lib 3.*] Quanquam enim optandum ſit vtrumque poſſe conſequi, tamen ſi optionem nobis amariſſima & truculentiſſima Imperia Neceſſitatis (*magnum imbecillitatis humanæ patrociniũ. Seneca.*) imponant, honeſtati ſalus & vtilitas, vt res magis neceſſaria generi humano, præferenda eſt. [*Dionyſ. Halyc. lib. 6. Ant.*] Senatus Rom. cùm bello Punico ſecundo, aduerſis prædijs iuuentutem militarem exhauſtã videret, Tib. Graccho coſ. deſignato, cen-

to, cenſuit, vti publicè ſerui aduerſus propulſandorum hoſtium impetum emerentur eoque modo quatuor & viginti millia ſeruorũ comparauerunt. Iidem ex Apulia quoq; & Fidiculis ſeptuaginta atq; trecentos ad ſupplementum equitatus emerunt. Quanta violentia eſt caſus acerbi? Quæ ciuitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite cenſos habere milites faſtidierat, eadem cellis ſeruilibus extracta corpora, & à paſtoralibus caſis collecta mancipia, velut præcipuum firmamentum exercitui ſuo adiecit [*Val. Max.*] *Cedit ergò interdum generoſus ſpiritus vtilitati, & fortuna viribus ſuccumbit, vbi niſi tutiora elegerit conſilia & vtiliora, concidendum eſt ſpecioſa ſequenti.*

CCCXXXI.

Imperium malis artibus quæſitum non facilè corrigi.

Principatus aut potentia, quam vel ſeditio extorſit, vel ambitio occupauit, etiamſi moribus atque actibus improbis non offenderit, in ipſius tamen initij ſui exemplo ſemper eſt vitioſa & claudicans, atque adeò difficillimum, vt bono peragatur exitu, terminumq; iuſti regiminis ſortiatur, quod malo principio eſt inchoatum. [*Leo Papa in quäd. ep.*] Cùm enim ea natura ſit poteſtatis, vt etiam optimum quenque in deterius mutet, *impoſſibile quodammodo fuerit, vt, qui fraude, vi, aut largitionibus potentiam ſibi quaſiuit, eam poſtmodùm iuſtitia, clementia & liberalitate atq; alijs artibus bonis tueatur.*

CCCXXXII.

Virtutes principum.

Princeps debet eſſe ſermone affabilis, facilis acceſſu, vultu, quo maxumè populus demulcetur, amabilis

bilis, propenſus æquis, iniquis acerbus. Talis à tota ciuitate colitur, defenditur, amatur. *hic princeps beneficio ſuo tutus, nullis præſidijs eget: arma, ornamenta animi pro ſe habet.* [*Seneca de clemen. ad Neron.*]

CCCXXXIII.

Iudicij expers vulgus.

Nunquam verè, aut ex reipſa iudicat populus, ſed mouetur plerumq; gratia, ſtudioque rerum priuatarum: optimis ſæpè ſententijs repugnat: deniqne ſi iudicat, non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam, & quâdam etiam temeritate ad conſultandum deſcendit. *Non enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia, ſemperq́; ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt,* [*Cic. pro Planco.*

CCCXXXIIII.

Suppliciorum lenitas & lentitudo.

Quanquam, vt in corporum morbis, ita etiam in ciuitatum ægritudinibus membrorum potius aliquod reſecandum eſt, quàm vt totum corpus intereat, Quia tamen, quidquid ex multis partibus conſtat, ita à natura comparatũ eſt, vt aliqua eius pars laboret, nec tamen ægra pars, quæ in humano corpore laborat, à peritis medicis reſecetur, aliàs reliquũ corpus aſpectu turpe exiſteret, & tandem ne corpus quidem remaneret. [*Dionyſ. Halyc. lib. 6.*] Sic vir politicus non ſtatim ſocietatis ciuilis partem laborantẽ abſcindet, (hoc enim modo totũ corpus breui interiret,) ſed, vt medici, plus interdum quiete & conniuendo, quam mouendo atque agendo remediũ abhibebit. [*Liuius lib. 22.*] *Naturâ* enim *contumax eſt humanus*

manus animus, & in contrarium atq; arduum nitens, quem qui intempeſtiuè corripit, aliud non conſequitur, quàm vt delicta accendat. [*Tacit. 12. Annal.*]

CCCXXXV.

☞ *Præpotentibus Rebuſp. nihil vtilius quàm negotium.*

In omnibus omnium ætatum regnis & Rebusp. vſuuenire ſolitũ legimus, vt ceſſantibus externis malis, domi ſeditiones & bella ciuilia fuerint excitata. Accidit autem hoc potiſſimum ijs, qui libertatis & principatus deſiderio, bellicum & laborioſum vitæ genus (vt Athenienſes, item & Romani) ſequuntur. [*Dionyſ. Halyc. lib. 8*] *Ingenia* enim, *quæ cum principatus & pluris habendi cupidine cõflictantur, ſi à conſuetis occupationum exercitijs ceſſant, difficile tolerari poſſunt.* Propterea prudentiſſimi Duces ſemper aliquas inimicitias alunt, vt, in

ciuili perturbatione exortâ, externorum bellorum materiam facilius accendant, finemque ſeditioni, potius per periculum externum, quam intraneam victoriam imponant. Ap. certè Claudium accepimus, crebrò ſolitum dicere, *Negotium populo Rom. meliùs, quàm otiũ committi.* [*Val. Max. lib. 7. c. 2.*] non quòd ignoraret, quàm iucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quòd animaduerteret, *Prapotentia imperia agitatione rerum ad virtutem & concordiam capeſſendam excitari, nimiâ quiete in deſidiam & ſeditiones reſolui.* Et ſanè negotium, nomine horridum, maiorum noſtrorum mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitijs & ſimultatibus imperium noſtrum reſperſit. [*V. ſ. Obſ. 70.*]

CCCXXXVI.

☞ *Ambitioſos non niſi per turbas emergere.*

Quod de piſcatoribus quidā ſcribunt, eos in ſtabili & liquida fluminis vnda, rarò anguillas capere, in agitata autem & turbata ſæpiſſimè: [*Ariſtoph.*] Ita homines obſcuri & ignobiles, qui verâ virtute deſtituti, nihil ſpei niſi per diſcordias habent, quoties inſignem aliquam potentiā & vtilitatem aucupantur, ſusque deque omnia conturbant, & tumultum ex tumultu, bellum ex bello ſerunt. vt eo modò honores & commoda, quæ quietâ repub. deſperant, turbatâ conſequātur. Sic Cleon olim omnes cogitationes ſuas eò deducebat, vt populum continuis bellis diſtineret, quo diutius belli præfectura fungeretur. [*Thucyd. lib. 5. & 7.*] Alcibiades quoque & Lyſander Lacedæmonius, eodem conſilio, hic Spartanam

ille Athenienſium ciuitatem ad non neceſſaria bella pertraxerunt, ſaltem ideò, vt per illa tempora potentiam ſuam augerent & amplificarent. videndus Dionyſ. Halyc. qui perfectiſſimam ideam hominis improbi & turbulenti in C. Sicinnio Belluto Trib. pl. repræſentat. [*Lib.7.p.660.*] quod & prouerbialis ille verſus notat.

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.
In turbis etiam prauus ſortitur honorem.

CCCXXXVII.

Ariſtocratia non durabilis.

Ariſtocraticum Reip. ſtatum omnium optimum & præſtantiſſimum ad amplificandũ Imperium eſſe, nemo ſapiens eſt, qui facilè neget, cùm propter virtutum præmia, quæ nullibi magis, quàm in Ariſtocratia, exſuperant, tùm etiam multitudinem excellentium ingeniorum, quæ velut

lut agmine facto cottidiè prouenire ſolent. [*Plato. Macch. in Diſput.*] Habet tamen hic Optimatiū ſtatus magnum & validum vitium, propter quod minimè durabilis poſſit eſſe. [*Ariſtot. lib. 3. pol. c. 10.*] Quippè enim cum hominum mentes nulla re acrius pungātur quàm ignominia, in tali autem Reip. ſtatu, vbi penes paucos, hoc eſt optimates ſemper Imperium eſt, reliqui ἄτιμοι prorſus ſint, &, (licet æquè boni & egregiè de patria meriti) propter ſortem inferiorem contemti, excluſi, ignominia afficiantur, *magiſtratus enim tanquā publicus quidā honor eſt, & præmiū virtutis*, Euenit, vt homines magnanimi & fortes, præcipuè verò, quorum virtus bellica in conſpicuo eſt, malè animati ergà remp. & cupidi ſemper nouarum rerum fiant, malintque euerſa patria ſimul euerti, quàm ſalua illa & incolumi, debitis ſibi honori-

bus

bus excludi. Et hinc fit, vt rarò eiuſmodi ſtatus diu duret. Quod & aliorum & Romanorum inprimis exempla docent. Quorum Reipub. ſtatus Ariſtocraticus, perennare nequaquã potuit, ſed paucis annis, continuis plebeiorum ſeditionibus concuſſus tandem in popularem ciuitatis formam migrauit. Sed longè omnium appoſitiſſimum exemplum in Cumæorum Ariſtocratia exſtitit, quam Ariſtodemus anteà commemoratis iniurijs incitatus in tyrannidẽ transformauit. [*Dion. Halyc. latè lib. 7. Antiq. Rom.*] Veneti, vt communem hunc morbum anticiparent, certos quoſdam minorum gentium magiſtratus & honores plebi conceſſerunt. cetera cura & adminiſtratione reip. patricijs reſeruata [*Contarenus.*]

CCCXXXVIII.

Ciuile bellum.

Nihil

Nihil eſt ciuili bello peius, nihil miſerius, cuius victoria etſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresque reddit, vt etſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur, [*Cic. lib. 4. ep. 9.*] victos autem miſeria & infortuniũ ſequatur. & accidit quidem his, vt ab amiciſſimis perdantur, iſtis verò vt amiciſſimos perdant. [*Dion. Halyc.*]

CCCXXXIX.

Erroris aut malè cœpti conſilij emendatio laudata.

Quamuis pœnitentia eorum, qui ſerò ſapere incipiunt, non ſit conferenda cum præuidentia, quæ res futuras & euentu dubias benè & compoſitè ordinat, tamen conſtat eam alio modo & reſpectu, illà non inferiorem eſſe, quia delet ac corrigit id, quod initiò ignorabatur, aut præpoſterè fuerat inceptum, dum impedit, ne res

ne res malè cōſulta, vires & augmenta ſumat. Itaque prudentes ſi per inconſiderantiam in rebus magni momenti ab optima ſententia aberrarunt, nec mali principijs obſtiterunt, tamen cognito errore, nondū adulta aut præualida eius incrementa impedire, adeoque ipſum malum radicitus exſtirpare conantur. [*Dionyſ. Halyc. lib. 6. Ant. Rom.*]

CCCXL.

Viros militares Veneri plerumq; mancipatos eſſe.

Populariter, bellicoſiſſimæ quæque gentes veneri & amoribus deditæ ſunt & mancipatæ. [*Ariſtot. lib. 2. pol. c. 9.*] vt apud quos τὸ ὀργιλικὸν τῆς ψυχῆς eminet, apud eoſdem quoq; τὸ ἐπιθυμητικὸν dominari queat. vtrumque ſcilicet ἄλογον. quod de Thracibus olim, vniuersè, ſingillatim verò de bellicoſiſſimis quibusque memo-

riæ

riæ proditum legimus. Ninus enim in Semiramide inſaniuit. Hercules in Omphale. Iaſon in Medea. Samſon in Delila. in Aſpaſia Pericles, & innumerabiles alij, qui amoris facibus arſerunt. Themiſtocles tantoperè vxori ſuæ inſeruiuit, vt per iocum, quod puer eius vellet, id tota Græcia velle diceretur, cùm puer matri, mater Themiſtocli, Themiſtocles Athenienſibus, Athenienſes toti Græcię imperarent. Iul. autẽ Cæſar quantis ſuſpicionibus rei venereæ laborarit, palã notum eſt. [*Suet. in eius vita.*]

CCCXLI.

Prouocatores rarò felices.

Cycni, (vt memorat Ariſtoteles) ipſi pugnam nunquam inchoant, impetiti autem ab Aquilis ſemper ſuperiores exiſtunt. [*lib. 9. de Animal.*] idẽ in prouocationibus publicis priuatisq; vſuuenire experientia teſtatur, plerun-

